MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XX.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

MÁSODIK OSZTÁLY: ÍRÓK.

HUSZADIK KÖTET.

PEST, 1870.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKADEMIAI KÖNYVÁRUSNÁL.

VERANCSICS ANTAL

M. KIR. HELYTARTÓ, ESZTERGOMI ÉRSEK

ÖSSZES MUNKÁI.

KÖZLIK

SZALAY LÁSZLÓ ÉS WENZEL GUSZTÁV,

M. AKAD. R. TAGOK.

KILENCZEDIK KÖTET.

VEGYES LEVELEK.

1563—1569.

A PÁPAI REFORMÁTUS
FŐISKOLAI KÖNYVTÁR
TULAJDONA

PEST, 1870.

EGGENBERGER FERDINÁND MAGYAR AKAD KÖNYVÁRUSNÁL

Nyomatott az „Athenaeum“ nyomdájában. Pesten. 1870.

TARTALOM.

1563.

Lap.

I. Kassa város tanácsának, jan. 9. 3
II. Kassa város tanácsának, jan. 13. 4
III. Kassa város tanácsának, mart. 1. 5
IV. *Maximilián római királynak Piopius Dénes modrusi püspök* mart. 6
V. *A római királynak válasza*, apr. 15. 17
VI. *Piopius Dénesnek visszonválasza*, máj. 19
VII. *Verancsics Antalnak Maximilián római király*, jun. 25. . 24
VIII. *Verancsics Antalnak Maximilián római király*, jun. 27. . 25
IX. Kassa város tanácsának, jul. 6. 26
X. Az egri püspökök sírjairól, jul. 27
XI. *Verancsics Antal Eger várának parancsnokságától lelépvén, eziránt Ferdinánd császártól felmentést nyer*, dec. 1. . 28
XII. Ferdinánd császárnak, dec. 4. 35
XIII. Ferdinánd császárnak, dec. 8. 36
XIV. *Magócsy Gáspár mint Eger vára ujonnan kinevezett parancsnokának utasitása*, dec. 10. 40
XV. *Verancsics Antalnak a túróczi prépostság adományoztatik*, dec. 13. 47
XVI. Károly főherczegnek, dec. 19. 49

1564.

XVII. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, jan. 25. 50
XIX. De Andreis Jeromosnak, febr. 2. 54
XX. *Verancsics Antalnak Hobordánszky Kristóf*, febr. 10. . . 56
XXI. Ferdinánd császárnak, febr. 13. 59
XXII. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, febr. 16. 62
XXIII. Ferdinánd császárnak tanácsosai, kiknek egyike Verancsics Antal, márt. 1. 64
XXIV. *Ferdinánd császár intézkedéséről Verancsics Antalnak kérésére* máj. 4. 66
XXV. Andronicus Tranquillusnak. jun. 16. 68
XXVI. Bornemisza Pál erdélyi püspöknek, jun. 17. . . . 68
XXVII. Oláh Miklós esztergami érseknek, jun. 20. . . . 70
XXVIII. Gróf a Salmis Eckiusnak, jun. 24. 72
XXIX. Dudics Sbardelatus Endrének, jun. 26. 74
XXX. Magóchy Gáspárnak, jun. 28. 76
XXXI. Hevesvármegye közönségének, jun. 28. 77

Lap.
XXXII. Pankotai Ferencz egri vicáriusának jul. 6. . . . 79
XXIII. Az egri káptalannak, jul. 10. 81
XXXIV. Tisztjének Palásthy Mártonnak, jul. 10. . . . 82
XXXV. Piopius Dénes modrusi püspök és egri nagyprépostnak, jul. 14. 84
XXXVI. Triumszlécsi jobbágyainak, jul. 25. 91
XXXVII. Uszaly Péternek, sept. 23. 92
XXXVIII. Domitius Jeromosnak, sept. 29. 94
XXXIX. Zniováralja lakosainak, sept. 29. 96
XL. Piopius Dénes modrusi püspöknek, okt. 10. . . . 97

1565.

XLI. Maximilián királynak négy királyi tanácsos, kik közt Verancsics Antal, január kezdetén. 104
XLII. Maximilián királynak magyar tanácsosai, kik közt Verancsis Antal, mart. 25. 108
XLIII. *Verancsics Antalnak Hermolao Jeromos*, nov. 28. . 114

1566.

XLIV. Osius bibornoknak, jan. 10. 115
XLV. Staroyrzensky culmi püspöknek, mart. 12. . . . 118
XLVI. Konyczky Jánosnak, mart. 12. 120
XLVII. Testvére Péternek, mart. 12. 121
XLVIII. Doctor Ermolao Jeromosnak, mart. 12. . . . 125
XLIX. Camulius Jakabnak, mart. 15. 127
L. Károly főherczegnek, mart. 21. 129
LI. Thelegdi Miklósnak, apr. 16. 130
LII. Thurzó Erzsébet özvegy Ungnad Ádámnénak, apr. 22. 131
LIII. Dudics Endrének, apr. 28. 132
LIV. Károly főherczegnek, máj. 22. 134
LV. A triumszlécsieknek, máj. 31. 138
LVI. Kubinyi Kristófnak, máj. 31. 140
LVII. Dolfino bibornoknak, jun. 3. 142
LVIII. Keresztély Bálint minorita tartomány-főnöknek, jun. 4. 143
LIX. Graussupolo Antalnak, jun. 4. 144
LX. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, jun. 5. 146
LXI. Divék Endrének, jun. 10. 148
LXII. Uszalyi Péternek, jun. 12. 151
LXIII. *Verancsics Antalnak Camuglia Jakab*, jun. 16. . . 154
LXIV. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, jun. 19. 157
LXV. De Andreis Ferencz felhévvizi prépostnak, jul 12. . 158
LXVI. Pernessy Istvánnak, jul. 14. 160
LXVII. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, jul. 16. 162
LXVIII. Konicki Jánosnak, jul. 18. 163

Lap.

LXIX. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, jul. 25. 167
LXX. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, jul. 28. 168
LXXI. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mikály*, aug. 4. 171
LXXII. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, aug. 15. 175
LXXIII. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, aug. 17. 176
LXXIV. *Verancsics Antalnak Grosutto Antal*, aug. 21. . . . 178
LXXV. *Verancsics Antalnak Grosutto Antal*, sept. 22. . . 179
LXXVI. Grosutto Antalnak, okt. 8. 181
LXXVII. Testvérének Mihálynak, okt. 14. 188
LXXVIII. *Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály*, okt. 26. 190
LXXIX. Maximilián királynak, dec. 27. 193
LXXX. Oláh Miklós esztergami érseknek, dec. 28. . . 197
LXXXI. Cromer Márton ermelandi püspöknek, dec. 31. . 198
LXXXII. Maximilián királynak, dec. végén. 199

1567.

LXXXIII. *Verancsics Antalnak Piopius Dénes modrusi püspök*, mart. 6. 201
LXXXIV. *Verancsics Antalnak Piopius Dénes modrusi püspök*, mart. végén. 202
LXXXV. Oláh Miklósnak, apr. 1. 204
LXXXVI. Dessewfy Jánosnak, apr. 18. 205
LXXXVII. Piopius Dénes modrusi püspöknek, apr. 22. . 207
LXXXVIII. Oláh Miklósnak, apr. 26. 209
LXXXIX. Forgách Ferencz váradi püspöknek, máj. 22 . 213
XC. Melegh Boldizsárnak, máj 24. 215
XCI. Dévi Jánosnak, máj 26. 217
XCII. Zay Ferenczneк, jun. 12. 218
XCIII. Comenduno bibornoknak, jun. 20. 219
XCIV. *Verancsics Antalnak Maximilián király* jun. 30. . 220
(Verancsics második konstantinápolyi követsége.)

1568.

XCV. Zsámboki Jánosnak, máj. 12. 220
XCVI. *Verancsics Antalnak Szerdahelyi Máté myszlai prépost*, máj. 24. 223
XCVII. Az udvari kamarának Verancsics Antal és Teuffenbach Kristóf, máj. 28. 224
XCVIII. Forgách Simonnak, jun. 11. 227
XCIX. V. Pius pápának, jul. 12. 230
C. Szerdahelyi Máté prépostnak, jul. 26. 233
CI. *Verancsics Antalnak Radetius István váradi püspök*, aug. 17. 235
CII. Draskovics György zágrábi püspöknek, aug. 30. . . 236

Lap.

CIII. Bernát sz. györgyi apátnak Velenczében, sept. 3. . 239
CIV. *Verancsics Antalnak Dolfino bibornok*, sept. 4. . . 242
CV. *Verancsics Antalnak Amulio bibornok*, sept. 4. . . . 243
CVI. Radetius Istvánnak, sept. 5. 245
CVII. Diotalevi Ferenecznek, sept. 17. 248
CVIII. *Verancsics Antalnak az alessandriai bibornok*, sept. 22. 249
CIX. Diotalevi Ferenecznek, sept. 24. 250
CX. Faseolo Jánosnak, okt. 1. 252
CXI. *Verancsics Antalnak Draskovics György zágrábi püspök*, okt. 8. 253
CXII. *Verancsics Antalnak Farnese bibornok*, okt. 19. . . 257
CXIII. Draskovics György zágrábi püspöknek, nov. 10. . 258

1569.

CXIV. Testvérének Mihálynak, jan. 7. 266
CXV. Stekelius Anzelmnek, jan. 16. 268
CXVI. Wis Albertnek, jan. 19. 269
CXVII. Az egri káptalannak, jan. 31. 273
CXVIII. De Andreis Jeromosnak, febr. 27. 275
CXIX. *Verancsics Antal bibornoknak felajánltatik*, mart 1. . 277
CXX. Maximilián császárnak, máj. 15. 278
CXXI. Gróf a Salmisnak, máj. 18. 280
CXXII. Unokaöcsének Faustusnak, jun. 1. 281
CXXIII. Testvérének Mihálynak, jun. 10. 284
CXXIV. *Verancsics Antalnak Maximilián császár*, jun. 17. . 289
CXXV. Maximilián császárnak, jun. 19. . . . . —
CXXVI. Maximilián császárnak, jun. 24. 292
CXXVII. *Verancsics Antalnak Maximilián császár*, jun. 24. 294
CXXVIII. *Verancsics Antalnak Maximilián császár*, jun 25. 295
CXXIX. Maximilián császárnak, jun. 25. . . . . —
CXXX. Diotalevi Ferenecznek, jul. 6. 296
CXXXI. Testvérének Mihálynak, jul. 16. 299
CXXXII. Testvérének Mihálynak, jul. 22. 300
CXXXIII. Pankotai Ferenecznek egri vicariusának, jul. 26. 393
CXXXIV. Faseolo Jánosnak, aug. 4. 306
CXXXV. *Verancsics Antalnak Rust Jeromos*, sept. 16. . . 308
CXXXVI. *Verancsics Antalnak Amulio bibornok*, sept. 17. . 309
CXXXVII. *Verancsics Antalnak az alessandriai bibornok*, sept. 17. 310
CXXXVIII. *Verancsics Antalnak Dolfino bibornok*, sept. 18. 311
CXXXIX. Verancsics Antal esztergami érsek, okt. 17. 312
CXL. Verancsics Antal mint esztergami érsek nyeri az esztergami egyház kegyúri jegát, okt. 17. 314

ANTONII VERANCII EPISTOLAE.

IV.

I.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

Prudentes et circumspecti domini, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Is Egregius Michael Serenyi nunc ex diuturna captivitate Turcarum Dei auxilio et bonorum beneficio sese eliberari cupiens, vadit ad dominationes Vestras subsidium eleemosynae ab eisdem petiturus, quem unite dominationibus Vestris commendamus; rogantes, ut quicquid in eum beneficii conferre poterint, velint id et in gratiam Domini et Christianitatis amore pietateque praestare, ut communi piorum hominum auxilio se ipsum possit ab hoc carcere, in quo tot annis delituit, expedire, in posterumque, ut antea, diligenti servitute sua Christianae Reipublicae prodesse. In reliquis dominationes Vestras feliciter valere optamus. Agriae die 9. Januarii 1563. 1523. máj. 25.

Antonius Verantius,
Episcopus Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis
et Borsodiensis mp.

II.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

1563. jan. 13. Prudentes et circumspecti, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Minthogi ennek eleote ayanlottak magwkat kegelmetek my nekewnk, es barathsagal is woltak kegelmetek mynekewnk, kyre nezwe my sem akaronk meghfeleotkezni, hanem issmeg az kegelmetek barathsagat meghakaryok wjtani. A mychoda agiwth ot Kassan ewntettwnk a Ferentz mesterel, kynek mwnkaiaerth fizettwnk is imar walamy 105 forinthot; de ha meghis wegre nem wjhetne az agiw dolgath, es a my wdvar byrank is ha megh kesneek az commissariusoknal, hogi oda nem mehetnek Kassara, keeriewk kegelmeteket azon elewbby barathsagerth es ayanlaserth, hogi ha walamybwl megh talalia a mester, legienek segitsegwl neky; ha pinz zwkseghes nekye, agyanak kegelmetek, es mi mint az elobenit es mint azt, kyt mostan adnok kegelmetek nekye, meghakaryok elegiteni kegelmeteknek. Annak felewtte az kegelmetek barathsaagat megwytyok, myvel nem akarwnk haaladatlanok lenny; hanem ismeg baratsagal akarwnk lenny kegelmeteknek. Isten tartcha megh kegelmeteket. Agriae die 13. Januarii 1563.

Antonius Verantius
Episcopus Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis
et Borsodiensis mp.

III.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

Prudentes et circumspecti, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Quam tristissima nova habemus, Passam Budensem cum copioso exercitu proximo die Veneris Buda egressum in oppido Jaszberen biduum transegisse, hodie vero in oppido Gyöngyös non ita procul ab Agria cum universo exercitu consedisse, habens secum falconetas aliquot ligonibus et fossoriis instructas, ac etiam non exiguam agrestium multitudinem, augerique quotidie illius exercitum, et expectari quotidie Temesvarino et Lippa Passarum adventum, in quem finem et quo animo, nescimus. At quia locus hic in maxima ope sit positus, et hostes accedere propinguius semper videntur, neque sit nobis diu firmum praesidium, quo illis resistere valeamus, si praeter spem et expectationem aliquid adversi in nos intentaverint. Propterea freti in vestro et aliorum vicinorum dominorum auxilio, quanto ocyus fieri poterit, dominationes Vestras requirendas esse duximus, easdem magnopere rogando, ut tam manifestis et instantibus periculis cognitis, quae non solum huic loco, sed reliquis etiam Regni partibus metui possunt, velint atque curent, quanto celerius fieri possit, secundum aliarum civitatum mutuam cointelligentiam, tercentos pedites huc Agriam expedire, et subsidia tamdiu dimittere, donec, quo se hostes declinaverint, et quid acturi sint, certius cognosci poterit, ne alioquis locus hic, veluti imparatus, 1563. mart. 1.

et debito praesidio destitutus, ab hoste imminente discrimen quodpiam periculosum subeat. Ad haec celerem dominationum Vestrarum gentium praefatarum expeditionem expectamus, vosque bene valere cupimus. Agriae die 1. Martii 1563.

Antonius Verantius,
Episcopus Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis mp.

IV.

Maximilián római királynak Piopius Dénes modrusi püspök.

1563. martius. Sacra Regia Maiestas, Domine, domine mihi clementissime. Duo sunt potissimum, quae conservationi et reparationi rerum Agriensium spectare videntur, quibus nisi citissimum adsit per Sacratissimas Vestras Maiestates remedium, sequentur procul dubio tot damna et incommoda, quot forte vix postea reparari poterunt.

Primum est; quoniam iam locus ille destitutus est fere omni militum praesidio ex solutionum differentia, petit humiliter Reverendissimus dominus Agriensis Episcopus, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates efficiant, infrascriptas has pecuniarum solutiones arci Agriensi de iure et de facto debitas, ut persolvant ii, quorum interest. Emericus enim quondam Thelekessy una cum gentibus Vestrarum Maiestatum, dum Capitaneus Cassoviensis existeret, percepit et consumpsit decimas Agrienses ex districtibus Helmecz,

Zemplin, Kyswarda, Kallo, Kazon et Vary in valore 3390 florenorum, uti patet ex cartulis eidem assignatis.

Anno quoque 1562. die 21. Junii Agriae facta et inita ratione cum domino Francisco Pestiensi de et super decimis arendatis ad rationem Vestrarum Maiestatum, praesentibus dominis Gregorio Bornemizza Scepusiensi Praeposito, Benedicto Bacchy contrascriba, Joanne Swkan et Matthia Litterato rationista domini Clementis Regy tum provisoris, remansit debitor ad 4000 florenos. Idem quoque eodem anno habuit decimas Agrienses ad rationem Vestrarum Maiestatum 2703 (florenorum), uti patet ex cartula arendationis eidem assignata. Annis etiam 1560. 1561. et 1562. omnes decimae Comitatus Zarand de mandato Camerae perceptae sunt ad Giulam, quae quotannis arendantur florenis 1200 aureis, quorum trium annorum summa faceret aureos 3600, monetae vero Hungaricae florenos 5400. Tota autem summa faceret 15,493.

Hic autem sciendum est, quod praeter totam praedictam summam, remanent et aliquot millia florenorum, quae erogata sunt ad intertenendos milites Agrienses, et ad alias arcis necessitates per provisores horum quatuor annorum proxime elapsorum; quae quidem pertinebant ad tertiam domini Episcopi Agriensis partem. De quibus postea erit cum eodem Reverendissimo Episcopo alias transigendum.

Et quoniam certo certius novit saepedictus dominus Episcopus, nullo posse fieri pacto, ut dominus Franciscus Pestiensis praedictam partem suam pecuniarum debitarum deponat; quippe qui ad tot sumptus, quos per haec confinia facere cogitur, vix sufficere potest; humiliter petit idem dominus Episcopus, ut Sacratissimae Vestrae Maiestates praefatam iubeant

fieri solutionem a Camera. Quae quidem et summam illam ad Giulam perceptam de iure deponere, aut per Capitaneum Giuliensem deponi facere deberet. Eadem quoque submissione petit, ut haeredibus praedicti quondam Thelekessy praeciperet, ut vel illi summam ab eo debitam persolvere debeant, vel ex stipendiis eidem debitis (si quae tamen eidem deberentur) Camera iam dicta satisfaciat.

Ad haec accedit, quod et Magnifici domini Nicolaus Bathory, et Melchior Balassa, decimas haud contemnendas ad Agriam pertinentes perceperunt absque ulla arendatione aut solutione, pro quarum pretio humiliter idem dominus Episcopus petit, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates praecipiant, ut vel ipsi domini Magnifici praefati satisfaciant, vel ex eorum stipendiis Camera Agriensis pretium arendae in integrum restituat.

Quae quidem totalis summa praedicta, si simul hoc tempore suppeditaretur, maximae procul dubio esset rebus Agriensibus utilitati; in omnibus tamen idem dominus Episcopus in omnem eventum sese Vestrarum Maiestatum voluntati accomodare intendit.

Sunt praeterea, quae publicum Agriae statum conturbant. Militum ac nobilium loci illius incolarum coniuratio propter religionis causam tantum; quae quidem quam publicae tranquillitati obesse possit cum tempore, moderna Gallorum exempla, et antiqua Arianorum ac Donatistarum facta nos facile edocent. Est et militum deficientia, quae propter carentiam solutionum, tum propter non admissum illorum arbitrio concionatorem in dies etiam fit maior; adeo ut vix ducenti aut paulo plures Agriae inveniantur equites, pedites vero in tam exiguo reperiantur numero, ut

dedecus sit recensere. Quibus rebus Vestrarum Maiestatum prudentissimum sanissimumque iudicium requireret, ut provideretur in tempore, modum vero huius perquam necessariae provisionis non proponit dominus Episcopus, quia id totum prudentiae, voluntatique Sacratissimarum Vestrarum Maiestatum committit. Hoc tamen per me Eisdem Vestris humiliter nunciat, Maiestatibus, satis scilicet esse, ob Turcas, ab altera vero factiosos et rebelles timere absque eo, quod domi etiam tales sustineantur turbationes, quae ut plurimum talia parturiri solent incommoda, quibus nisi in tempore illis provideatur, nihil prorsus boni expectandum aut sperandum esse, non est qui ambigat. Neminem accusat dominus Episcopus, nemini detrahit; verum pro sua in Vestras Sacratissimas Maiestates fidelitate harum rerum tantum mentionem facit, quae commodo Regni, honori Vestrarum Maiestatum, et Christianae Reipublicae utilitati necessaria esse videntur. Humiliter etiam petit idem Reverendissimus dominus Episcopus, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates dent mandata ad Comitatus Hewesiensem, Borsodiensem et Pestiensem; quatenus pro munitione arcis Agriensis dare teneantur currus et colonos; quandoquidem minuta ista servitia coloni Episcopatus, qui sunt perpauci, nequaquam possunt praestare omnia. Nobiles enim horum Comitatuum parum, Magnates vero nihil iuvant; quibus quidem Magnatibus, si Vestris Maiestatibus videretur, essent et peculiaria super his danda mandata.

Egregii quoque Ladislaus Zelemiry et Clemens Regy, qui quatuor annis elapsis fuerunt domini Episcopi provisores, annis inquam 1558. 1559. 1560. et 1561., multa habere dicuntur in suis regestris, quae

difficulter admitti possent et deberent, quare humiliter petit idem dominus Episcopus, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates committerent viris aliquibus peritis et sinceris, qui Agriae ab illis rationem suae administrationis acciperent. Quod procul dubio non absque et Vestrarum Maiestatum, et loci illius Agriensis esset utilitate. Danda insuper essent ambobus praedictis mandata, ut vocati statim atque sine ulla tergiversatione Agriam ad dandam praedictae administrationis rationem venire haud recusarent.

Solent etiam per decimatores et iudices possessionum et officiales tam Dominorum quam Nobilium in decimis frugum, vinorum et bladorum multae fieri distractiones et dissipationes; quare idem dominus Episcopus humiliter proponit, ut Vestrae Sacratissimae Maiestatis dignentur Comitatibus Abawywar, Zemplin, Borsod, Beregh, Zabolch et Hewess per litteras serio committere, ut tam Domini, quam Nobiles ceterique Status et Ordines debeant ac teneantur colonos suos cogere ad haec, ut dum et quando unus notarius iuratus eiusdem domini Episcopi, ac rationista Vestrarum Maiestatum cum uno Canonico Capituli Agriensis ad perlustrandos praedictos dissipatores exierint, sub iuramento coloni eorum veritatem dicere teneantur, videlicet quot gelinias frugum et bladorum ac aliorum decimari solitorum, et quot cubulos vini eisdem decimatoribus unusquisque colonus dedit, et postea ad quem locum, et in cuius sive quorum usum expositae sunt vel conversae.

Eisdem etiam Comitatibus bonum esset, si per Maiestates Vestras Sacratissimas clementer praeciperetur, ut colonos suos praestare vellent in auxilium pro inducendis vinis ad Agriam pertinentibus; quae

quidem si pecuniis inducere vellent Agrienses, superflui satis et infiniti fere fierent sumptus. Quod quidem mandatum et alias dicit dominus Episcopus emanatum fuisse; nec id quidem immerito, maxime cum Episcopatus coloni in inferendis et lignis et lapidibus pro arcis munitione sint fere semper occupatissimi.

Essent et quae sequuntur (iudicio quidem Reverendissimi domini Agriensis) haud inutilia utrique arci, Agriensi videlicet et Giulensi. Ex quo enim Giula indigere videtur subsidio decimarum in Comitatu Zarand ad Agriam spectantium; non esset inconsultum, si Vestrae Sacratissimae Maiestates iuberent dominis de Camera, ut cum Reverendissimo domino Episcopo Vaciensi transigerent, ut applicatis praedictis decimis ad Giulam, per haec impacata tempora idem dominus Vaciensis concederet ad Agriam dari decimas in Comitatibus Kys Novograd, Pesth, Solth et Zolnok etc. possessionum, sicque Dominus Agriensis illas decimas in Zarand Giulae, Dominus vero Vaciensis praedictorum Comitatuum ac possessionum Agriae cederet. Qui quidem Dominus Vaciensis pretium suarum decimarum a Camera quotannis accipere posset iuxta transactionem, quam Vestrae Sacratissimae Maiestates cum eodem domino Vaciensi concluderent, hocque modo et Giulae necessitati prospicerent, et Agria subsidio debito non privaretur.

Exponit etiam saepedictus Dominus Agriensis omni in submissione Vestris Sacratissimis Maiestatibus, ipsum graviter tulisse, se fuisse apud Eas delatum, quod maiorem et meliorem partem vinorum decimalium vindemiae proximae tempore sibi ipsemet fecerit, et ea non in arce, sed in oppido collocaverit pro sua tertia parte cum iactura arcis. Scient igitur

Vestrae Sacratissimae Maiestates, quod cum provisor eiusdem domini Episcopi videret, non posse paratam pecuniam ad rationem partis suae suppeditare, vini attribuit decimalis cubulos 2993, quae vix vendi possit florenis 1500; eaque ut sua et suae partis tertiae deputata sub ipsa arce, extra tamen, in cellariis collocavit, ut vendantur suo tempore, et habeat sumptus, quando et ibi manebit, et in curiam accersetur. Quare humiliter supplicat Vestris Sacratissimis Maiestatibus, ne permittant tales sibi delatores insultare.

Addit quoque praeter haec omnia supradicta idem Reverendissimus Dominus Agriensis, quod hoc tempus maxime expeteret, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates ad illum dare mandatum dignarentur, et ad milites ac nobiles Agriam inhabitantes, ut eodem domino Episcopo eos requirente primo quoque tempore ad praefatum dominum Episcopum conveniant, idemque per iuramentum cognoscat ab illis, an in arce Agriensi fideliter permanebunt obsidione ingruente, quam alioqui Deus summoveat; quo sic in tanto inquilinorum loci illius numero sciat, quinam sint paenes eius fortunam permansuri.

Aliud quod valde ad arcis Agriensis, imo totius illius confinii conservationem conduceret, esset, ut aliquem finem tandem sortiretur tractatus per Sacratissimam Vestram Maiestatem cum Reverendissimo domino Agriensi incoeptus, quandoquidem sic stantibus rebus, nullus ex illius arcis capitaneus aut officialis novit, quid sit facturus, quod ad loci illius utilitatem spectat, suspensi sunt omnes animo, ignorantque, quid sequi ex hoc tractatu debeat. Sicque res Agrienses maximum patiuntur in dies detrimentum.

Quare cum hoc videat apertissime, dominus idem

Episcopus humiliter supplicat, ut pro confinii illius commodo dignetur Sacratissima Vestra Maiestas ab eo proposita in bonam partem accipere, quo et ipse a tot tragoediis liberetur, et loco illi melius consulatur.

Proponit igitur humiliter idem Reverendissimus dominus Episcopus, quod cum tot videat inutiles fieri proventuum Agriensium distractiones, milites quoque difficulter solutionum tarditatem sustinere, obque religionis causam adeo sibi infensos, ut nihil supra; adeo ut quacunque eos humanitate prosequatur, nihil ipsis fecisse arbitrentur, cum aut concionatores iuxta eorum voluntatem eis non concedat, aut si eis permittit, quum in civitatem ingredi non patitur libenter, pessimis eundem dominum Episcopum intuentur oculis. Videt praeterea locum illum esse inter omnia finitima longe observandum, neque consultum esse, leges ibi ecclesiasticas hoc praecipue tempore inter armorum strepitus vindicare, quandoquidem adeo subrepserunt novae istae opiniones, ut et pueri ipsi ac mulieres potius mortem subirent, quam ne digitum quidem ab institutis novatorum horum averterent pedem. Quae res si reprimi (aboleri enim facile nequit) a domino Episcopo temptatur, statim discessum minantur, illico se locum deserturos, atque ad alium illis benevolum dominum abituros palam ac publice profitentur. Quare haec omnia timens idem Reverendissimus, seque ad tantam vim retundendam satis cognoscat absque suppremo Sacratissimarum Vestrarum Maiestatum auxilio impotentem, humiliter supplicat, ut habita honoris ac dignitatis suae ratione Sacratissimae Vestrae Maiestates dignentur clementer Agriensibus rebus in eo providere, quod maxime videbitur proficere, et loco et confinio illi; quo amisso nulli est du-

bium, quin reliquum quoque Hungariae in maximo vertatur periculo.

Hinc est, quod idem Reverendissimus dominus Episcopus cuperet ex animo, ut Agriam a Vestris Sacratissimis Maiestatibus duae mitterentur principales personae; altera quarum esset tum nobilitate tum militia praestans, isque esset, qui et alibi haberet, quod in omnem, quem Deus avertat, malum eventum amittere posset. Hic autem omnibus praeesset militibus, arcem custodiret perpetuo, vice-capitaneum in civitate haberet, si non parem, saltem sibi similem. Altera vero is esset, qui omnium arcis aut Episcopatus proventuum curam haberet, quibus statutis temporibus stipendia tam peditibus, quam equitibus suppeditare, fruges ac vina in depositis pro quacunque ingruente necessitate, imo et aliquam summam pecuniarum quotannis servaret. Vellet idem dominus Episcopus, ut capitaneus, quem missurae erunt Sacratissimae Vestrae Maiestatas, una cum castellanis, esset ipsi domino Episcopo iuratus, et ipse illi, et omnes simul Vestris Sacratissimis Maiestatibus.

Et quoniam nunc iam in senectute sua cuperet aliquam quietem, humiliter supplicat, ut clementer Vestrae Sacratissimae Maiestates de loco aliquo particulari pro residentia sua providerent, ne post tot labores et servitia exiens Agria, fieret ex domino inquilinus, aut alicuius alterius, praeterquam Vestrarum Sacratissimarum Maiestatum, quibus perpetuam dedicavit servitutem, subditus.

Petit etiam humiliter, ut praeter summam illam, quae illi ratione tertiae suae partis a Vestris Sacratissimis Maiestatibus ordinabitur, numerandam, permitterent eidem clementer, ut et iurisdictionem super

colonos Episcopatus haberet, et census ordinarios, una cum reliquis proventibus possessionariis, sibi et ibi commorari ad tempus, prout sibi videbitur expedire, clementer concederent; his, ut putat, legitimis de causis; ut scilicet cum contingeret, eundem Agriam reverti ad visitandam Ecclesiam suam, haberet et fruges, et vina, et alia victui suo necessaria; et ut etiam aliqua sibi restaret alicuius temporalis dominii species. Quod quidem a Vestris Sacratissimis Maiestatibus prius sibi intuitu servitiorum suorum clementissime fuerat et plene concessum, et ut tandem non videatur ob aliquod eius demeritum exclusus a dominio et administratione illius Episcopatus, hincque aemuli ipsius sumant occasionem, honori et existimationi eius detrahendi. Census siquidem ordinarius colonorum non excedit summam 500 florenorum, proventus vero frugum, vinorum, et aliarum rerum decimari solitarum, cum non sint omnes anni eiusdem aut fertilitatis, aut sterilitatis, sunt incerti.

Praeterea petit idem Reverendissimus dominus Agriensis omni cum humilitate, ut Vestrae Sacratissimae Maiestates aliquem certum locum clementer ordinent, unde octo illa millia florenorum Hungaricalium sibi per Easdem Vestras Maiestates designata, annuatim, aut singulis statutis temporibus accipere seu habere posset, ne postea prae deficientia illius provisionis incommoda patiatur, et ex eadem nequeat Vestris Sacratissimis Maiestatibus, prout ipse perpetuo optat, in aliis negotiis inservire.

Ut autem aliqua ex parte Vestrae Sacratissimae Maiestates cognoscant id, quod in principio dictum est de distractionibus Agriensium proventuum, humiliter Eisdem significat ipse dominus Episcopus, quod cum

superfluis rationistarum, contrascribae, clavigerorum et capitaneorum stipendiis aliquot centena peditum, aut forte equitum possent interteneri. De reliquisque pro nunc tacendo, hoc tantum de capitaneis dicit, quod singuli annuatim habent ratione stipendiorum suorum mille et ducentos florenos in pecuniis, frumenti sectilia 150, ordei totidem, agnos totidem, vini cubulos 248. Quid vero ceteri habeant a Camera, facile poterunt Vestrae Sacratissimae Maiestates intelligere.

Humiliter tandem Vestris Sacratissimis Maiestatibus supplicat, ut ad obturanda malignorum ora, velint clementer per patentes litteras suas omnibus significare, quatenus ipse Reverendissimus dominus Agriensis non pro demeritis, aut alia illicita ratione compulsus fuerit, ad arcis custodiam, militum gubernationem, et administrationem proventuum relinquendam; verum quietis propriae gratia ad Vestrarum Sacratissimarum Maiestatum manus ea omnia sponte et libere dedisse; nec ideo tamen sua eundem esse aut fuisse per Maiestates Vestras privatum dignitate. Haec autem meliori aut favorabiliori eo fiant modo, quo Sacratissimis videbitur Maiestatibus.

In reliquis omnibus omne studium ac diligentiam pro fideli erga Sacratissimas Vestras Maiestates suaque perpetua servitute offert, et exhibet sese ad omnes nutus, non tantum mandata Vestrarum Sacratissimarum Maiestatum promptissimum.

V.

A római királynak válasza.

Regiae Romanorum etc. Maiestatis responsum.

Sacra Romanorum ac Bohemiae Regia Maiestas, dominus noster clementissimus, benigne intellexit petitiones nomine Reverendissimi domini Episcopi Agriensis per Reverendissimum Episcopum Modrusiensem sibi nuper exhibitas. 1563. apr. 15.

Et primo quidem loco, quod ad caput principale rerum, videlicet Agriensem mutationem attinet, recordatur Sacra Regia Maiestas, per Sacratissimam Maiestatem, dum novissime Pragae ageret, hanc rem, et similes fere Episcopi Agriensis petitiones, se praesente propositas fuisse. Quibus auditis Maiestas Sua Caesarea, ut sequitur, benigne deliberavit; quae quidem Regia Maiestas ipsi domino Modrusiensi proponi voluit.

Videlicet, ut dictus Reverendissimus Agriensis pro sua sustentatione octo millibus florenorum Hungaricalium nomine pensionis annuae contentus, in posterum omnibus proventibus Agriensibus et iurisdictione temporali prorsus abstineat. Hoc saltem concesso, quod coloni Episcopatus operas suas in colendis domini Episcopi vineis gratis praestare teneantur. Quae quidem pensionis summa vel e proventibus Agriensibus, vel — si hoc domino Episcopo minus consultum videbitur — e pecuniis, quae alioqui Agriam in supplementum mittendae sunt, certo et annuatim ipsi

A Dunántúli Református Egyházkerület PÁPA KÖNYVTÁRA

domino Episcopo numerari, atque ea de re certa assignatio fieri debebit.

Deinde ut praefatus Reverendissimus Episcopus Agria relicta Posonium se recipere, et illic habitare velit, donec aliqua in Regno Hungariae Praepositura vacaret, tunc enim ipsius rationem benigne esset habitura; ubi ipse Episcopus extra omne periculum, tot curis liberatus, Maiestatibus suis eo commodius inservire, suisque dandis consiliis praesto usui esse possit. Neque Maiestas Sua Caesarea intermissura est, quin litteris suis hanc mutationem Agriensem nullo ipsius domini Episcopi demerito institutam esse, declaratura sit.

Quod iuramentum, quo capitanei seu praefecti domino Episcopo, et ipse vicissim illis obstrictus esse debeat, concernit; si id eum sensum habeat, ut capitanei ipsum dominum Episcopum in rebus ecclesiasticis pro Episcopo agnoscere, Episcopus vero in temporalibus illos nequaquam turbare debeat, Maiestas Sua Caesarea ei utrinque praestando acquiescit.

Quod si itaque dictus Modrusiensis a Reverendissimo Agriensi hoc nomine quid ulterius agendi seu concludendi in mandatis habeat, id ut aperiat, seseque huic Maiestatis Suae Caesareae benignissimae voluntati et oblationi accomodare velit, Maiestas Sua Regia perquam benignissime requirit.

Ceterum ad solutionem decimarum per Franciscum Pestiensem et alios arendatores quod spectat, Maiestas Sua Regia hoc nomine a Camerae Hungaricae Consiliariis informationem petivit. Qua allata de praestanda competenti solutione clementer decernet.

Articuli petitionis exhibitae duo, de raritate militum Agriensium, et iuramento eorum, qui tempore

obsidionis permansuri essent, per Consiliarios Bellicos tractabuntur; tres vero de convectione frugum, vinorum etc. in Cancellaria expedientur Hungarica.

Decretum per Sacram,
Romanorum Regiam Maiestatem.
XV. Aprilis anno LXIII.

VI.

Piopius Dénesnek viszonválasza.

Replicatio Modrusiensis.

Responsurus humiliter iis, quae clementissime proposuit mihi Sacra Romanorum etc. Regia Maiestas in negotiis mutationis rerum Agriensium; primo quidem illud omni cum submissione praetermittendum non existimavi, quod forte ad hucusque Suae Regiae Maiestati non innotuit. Id autem est, ut quicquid egi, aut sum deinceps in hoc negotio acturus, non intuitu tantum Reverendissimi Agriensis Episcopi, verum publici confiniorum illorum, et privati loci illius Agriensis commodi gratia feci et tractavi. Novi siquidem, (quod) pendente hoc tractatu, nullus ex officialibus per Reverendissimum Agriensem constitutis scit, quidnam in arcis aut loci illius utilitatem perficere queat. Sunt etenim animo suppresso, et semper exitum huius tractatus expectantes, ad propria potius quam publica curanda propensi. Quod ego cum viderim non modicum rebus Agriensibus adferre damnum, nolui itineris 1563. május.

et aliorum incommodorum laborem recusare, certo certius sciens, finem huius negotii haud posse inutilem fore et Sacrae Regiae Maiestati, et Regno ipsi. Non possum tamen non ea Sacrae Regiae Maiestati proponere, quae mihi oratenus Reverendissimus Agriensis mandavit. Quorum praecipuum et singulare est, ut dominio temporali nequaquam cedere vellet; dominio inquam colonorum saltem; videtur namque sibi cum huiusmodi abdicatione honori suo adeo male satisfactum, ut facile crediderim, si Sacra Regia Maiestas omnino hoc iuberet, ut a jurisdictione temporali prorsus abstineret, eundem non diu supervicturum; tanti facit existimationis suae, ut ipse cogitat, detrimentum.

Quare humiliter Sacrae Regiae Maiestati supplico, ne mihi hoc adscribere velit, ut nempe videar nolle voluntati Sacrae Regiae Maiestatis condescendere, sicut Eadem a me clementer requirit. Quandoquidem etiamsi omnimoda mihi ab ipso Reverendissimo Agriensi data sit in hoc tractatu concludendi facultas; hoc tamen semper excepit, ut dignitas sibi Episcopalis una cum temporali super colonos jurisdictione servaretur intacta. Hoc quidem possum Sacrae Maiestati praestare, ut tres modos, quibus et Sacrae Regiae Maiestatis voluntatis, et loci, et Reverendissimi etiam ratio non contemnenda haberetur, proponerem; quorum unum, si Sacrae Regiae Maiestati probabitur, non dubito, quin et Reverendissimus Agriensis amplectatur; sed simpliciter temporali dominio cedere nomine eiusdem Agriensis non possum. Non enim ego sum in hac causa principalis, sed me oportet iuxta mihi praescriptam formulam incedere. Ipse enim Reverendissimus Agriensis sic Sacrae Regiae Maiestati scripsit.

„Verum ii, de quibus ante memini, nulli id mihi laudi tribuentes, in eo potius videntur omnes conspirasse, ut excedam hoc Episcopatu toto, et ab omni jurisdictione eius me abdicem, quasi mente captus; perque pudorem et indignitatem meam cuncta transigam, quaecunque nunc mihi sunt cum Maiestatibus Vestris in tractatu. Quae qualia quamque sint honesta, quamque etiam fieri debeant ab homine sano, Maiestati Vestrae remitto judicanda; quum eiusmodi nec ego unquam cogitaverim, nedum optaverim, nec Maiestates Vestras putem etiam nunc velle.“

Ubi apertissime potest Sacra Regia Maiestas ultimam in hoc negotio ipsius Reverendissimi Agriensis intentionem videre, quam ego non sequi nomine suo non possum, nec debeo; cum ipsemet manifestissimis id quoque reprimat verbis, prout in litteris ad Sacram Regiam Maiestatem facile est videre.

Mutatio igitur rerum Agriensium in hoc maxime consistere videtur, ut et Reverendissimo Agriensi non tantum de annuali satisfaciat pensione; verum etiam, qui praeficiendus loco illi erit, sit cum eodem Reverendissimo Agriensi concors et unanimis. Hoc autem non admodum facile esse videtur ut contingat, praesertim si ex Magnificis erit, qui arci Agriensi praeficiendus est. Verum tres modi, de quibus superius memineram, mihi occurrunt; unus ex quibus, judicio quidem meo, rebus Agriensibus valde prodesse poterit. Id quidem dixerim, praesupponendo semper Maiestatis Sacrae Regiae clementem voluntatem et assensum.

Primo namque oportunum mihi videretur (si tamen Sacra Regia Maiestas in hoc esset, ut Reverendissimo Agriensi locum residentiae extra Agriam

assignare vellet); quod saltem medietatem colonorum sibi concederet. Et hoc per litteras conabor ab eodem Reverendissimo Agriensi impetrare; quandoquidem nullo pacto, cum ego illinc discederem, ostendebat, se se aliter velle, nisi ut super omnibus jurisdictionem haberet, huius quoque rei rationem adducens, contradictionem nempe juramenti sui praestiti, de non alienandis scilicet Ecclesiae illius bonis. Cum autem ego videam, quod pro maiori bono, conservatione videlicet loci ac confinii, quae quidem universo Regno Hungariae, et adiacentibus etiam locis valde proderit; hoc fieri absque periurii incursione posse laborabo, ut per litteras ea, quae iam proposui, ipsi Reverendissimo Agriensi persuadeam, nec dubito, quin tandem assenciat. Hic autem primus modus praesupponit, praefectum Agriam mittendum unum ex Regni Baronibus futurum.

Secundo posset Maiestas Sacra Regia, dominus noster clementissimus, committere dominationibus Vestris Magnificis, ut certam quandam limitationem super proventibus colonorum Episcopatus illius, de quibus iam tenent regestrum, facerent, eamque summam, quam limitaverint, ex summa octo millium florenorum sibi promissorum exciperent, sicque relictis ipsi Reverendissimo Agriensi proventibus saepedictis, tanto minus in paratis pecuniis recipere teneretur.

Posset ultimo denique loco Sacra Regia Maiestas praeficere Agriae alium capitaneum, strenuum in militia, nobilem quidem, sed non ex Magnificis, et ibidem Reverendissimum Agriensem cum solito super colonos Episcopatu omnino, et octo illis millibus florenorum relinquere; qui et militum gubernationi, et proventuum ceterorum administrationi omnino cederet, maiorem-

que ac diligentiorem Ecclesiae illius curam praesens haberet, quam absens ei; loco etiam illi finitimo magis podesset duos consules, quam unicum habere dictatorem; alter quorum tanquam propria bona, alter vero tanquam sibi a Principe commendata illa omnia curaret, sicque utriusque virtute ac diligentia, quasi certatim, et Ecclesia et confinium servaretur, Reverendissimus quoque Agriensis ibidem absque alicuius alterius loci assignatione residens, posset etiam futuris temporibus, nec pigre quidem, Suis inservire Maiestatibus.

Hic autem tertius modus mihi magis probaretur; quandoquidem certo certius novi, quod absente Reverendissimo Episcopo Agriensi Capitulum vix consistere poterit. Non enim idem tempus est armorum et legum; et cum illic Capitulum periclitaretur, magnum profecto detrimentum rebus adferret Agriensibus, non tantum propter ecclesiasticam observantiam, quae Capitulo adempto procul dubio ibi periret, verum etiam propter continua subsidia, quae in omnibus confiniorum illorum et Regni necessitatibus a Capitularibus indefesse conferuntur, quae cum ego oculis propriis viderim, possum tuto Sacrae Regiae Maiestati affirmare.

Ad haec accedit etiam, quod hoc modo clementer a Sacra Regia Maiestate concesso, latrandi et murmurandi adversus Suae Regiae Maiestatis benignitatem et munificentiam, omnino tolleretur occasio. Non enim posset se forte continere Reverendissimus, quin cum aliis sui ordinis ecclesiasticis personis conquereretur, si quasi invitus ex Episcopatu, prius sibi a Maiestatibus suis donato, eiiceretur, hincque procul dubio occasio detrahendi tantae Maiestati oriretur.

Quod quidem etsi parum, imo nihil esset Serenissimo eius nomini derogaturum, non esset tamen sine aliquorum scandalo, et eorum maxime, qui de magnis maxima iudicare aut opinari consueverunt. Haec quoque non proponere, nisi fidelitas, qua perpetuo Sacris Maiestatibus teneor, me urgeret ad ea omnia in hoc negotio proponenda, quae et publicae utilitati, et particulari Sacrae Regiae Maiestatis honori et existimationi consulere videntur. Quomodocunque —

— — — — — — —

VII.

Verancsics Antalnak Maximilián római király.

Maximilianus Secundus Divina faverile clementia Romanorum Rex Semper Augustus etc.

1563. máj. 25. Reverende fidelis nobis dilecte. Exposuit nobis Generosa et Magnifica nobis grata Sophia Patoczy, Magnifici Georgii Bebeci consors, quod quidam miles Agriensis, Thomas Baxay nuncupatus, indesinenter molestaret eam in bonis Gagy et eius pertinentiis, per Sacram Romanorum Caesaream Maiestatem dominum et genitorem nobis observandissimum superiore tempore eidem Bebeco ex gratia collatis; petens humillime, ut ei rei providere dignaremur. Quam eius petitionem acquitati consentaneam existimantes, tibi clementer mandamus, ut authoritate tua efficias, ne posthac dictus Baxay in bona illa sese violenter ingerat; sed si quid iuris in eis se habere praetendit, iuxta consuetudinem Regni id prosequatur, alioquin

gravem indignationem Caesareae Maiestatis incursurus sit. Datum in civitate Viennae die 25. mensis Maii anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romanorum primo, Bohemiae vero decimo quinto.

Maximilianus mp.

(P. H.)

Ad mandatum domini Regis proprium,

Gebhart Welltzer mp.

H. Pieringer mp.

VIII.

Veranesics Antalnak Maximilián római király.

Maximilianus Secundus Divina favente clementia Romanorum Rex Semper Augustus etc.

Reverende fidelis nobis dilecte. Questus est apud nos Franciscus Török de Ennyug, Transylvanum, filium quondam Regis Joannis, a se et orphanis quondam fratris sui, oppidum Debreczen, tanquam quod iure haereditario ad se pertineat, redimere et alienare velle; quod quidem ab adposito ipsius Transylvani litterarum exemplo clarius cognosces. Eapropter Sacratissimae Caesareae Maiestatis etc. domini ac genitoris nobis observandissimi nomine tibi benigne praecipimus, ut nos, an oppidum illud ab ipso Transylvano tanquam haereditarium superioribus annis inscriptum, seu an Fisci Regii peculium sit? informes; et num, seu quo pacto haec, quam insituit, redemptio impediri possit seu debeat, diligenter deliberes, et nobis deinceps sententiam opinionemque tuam hac de re diserte 1563. jun. 27.

idque mature rescribas; exsecuturus Eiusdem Maiestatis Caesareae et nostram perquam benignam voluntatem. Datae in civitate Viennae die vigesima septima mensis Junii anno a nato Christo millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Regnorum nostrorum Romanorum primo, Bohemiae vero decimo quinto.
Maximilianus mp.

(P. H.)

Ad mandatum domini Regis proprium,
L. Puchler de Veittenes mp.

IX.

Kassa város tanácsának Verancsics Antal.

1563. jul. 6. Prudentes et circumspecti domini, amici nobis honorandi, salutem et nostri commendationem. Quoniam denuo indigemus opera vitrarii concivis dominationum Vestrarum ad conficiendas novas fenestras ecclesiae nostrae; rogamus itaque easdem, velint praefato vitrario potestatem huc veniendi facere, eumque cum instrumentis suis in isto curru nostro ad nos expedire; facturae in eo nobis rem pergratam, quam vicissim amicitia nostra recompensare volumus. Habet autem iam hic in promptu plumbum et vitra. Quod restat, optamus easdem bene valere. Agriae die 6. Julii 1563.

Antonius Verantius
Episcopis Agriensis,
Comes perpetuus Hewesiensis,
et Borsodiensis Comitatuum mp.

X.

Az egri püspökök sírjairól Verancsics Antal.

Forte fortuna, quum haec Agriensis Ecclesia vitio pulverum bombardicorum, qui iuxta servabantur, ut fit in arcibus finitimis, bis fuisset passa incendium; anno primum M. D. XL. II., quo vacante eius sede Joannis et Ferdinandi Regum seditiosis temporibus Spectabilis et Magnifici domini Petri Perenny cura et auspiciis tenebatur; deinde M. D. L. II., quo iam Joanne Rege mortuo, Reverendissimi domini Nicolai Olahi Episcopi, ac Stephani Dobo provisoris eius tempore obsidebatur a Turcis, totus sepulchri huius Reverendissimi quondam domini Petri de Rozgon Episcopi Agriensis quintidecimi ab Episcopatu eiusdem Ecclesiae instituto, anno vero M. CCCC. XXX. VIII. mortui, lapis marmoreus, quo idem sepulchrum tegebatur, igne corruptus fuerat. 1563. julius.

Postea anno M. D. LX. III., quum ego Antonius Verancius, natione Dalmata, patria Sibenicensis, eiusdem Loci miseratione Divina Episcopus, zelotes domus Dei Altissimi, eandem Ecclesiam Agriensem, Turcis Budam sub Solimano Magno eorum Tyranno obtinentibus, et undique eidem viribus suis imminentibus, reparassem, non quidem in formam pristinam, sed in eam, quae extrema et plena omnium malorum Regni tempora permiserunt, hoc sepulchrum quoque restitui, et ossa tanti Episcopi, antecessoris mei, Christianae pietatis ergo collegi, exosculataque vene-

rabundo ore, hoc lapideo exiguoque conditorio clausi, et eidem sepulchro reddidi.

Sancta itaque ossa, requiescite in Domino, et resurrectionem laeta expectate. Est enim veracissimus, cui et vos olim credidistis, et nos modo credimus. Mihi vero ignoscite, si qua vos inquiete perturbavi. Non hoc malitia, sed pietate factum est. Deus Aeternus, et Christus eius filius, Dominus ac Redemptor noster benignissimus, in aeternum laudetur et glorificetur. Amen. Anno M. D. LX. III. mense Junio.

XI.

Verancsics Antal Eger várának parancsnokságától lelépvén, eziránt Ferdinánd császártól felmentést nyer.

Nos Ferdinandus Divina favente clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus etc.

1563. dec. 1. Fatemur et recognoscimus his litteris nostris memoriae commendantes universorum et singulorum: Quod nos praesentis temporis perturbatione et periculis a vicino hoste, eoque formidolosissimo imminentibus moti, quum nostri sit muneris et officii, tum huius afflicti Regni nostri Hungariae saluti, tum ceterarum Christiani Imperii partium securitati consulere, plurimumque momenti in Agriae incolumitate situm intelligamus, tam ad dicti Regni nostri Hungariae conservationem, quam ad vicinorum Regnorum ac provinciarum Christianarum tranquillitatem, ac proinde

statum Agriae in aliam, quam quae hactenus fuit formam, reipsa et necessitate publica requirente, restaurandum adducendumque rati, cum fideli nobis dilecto Reverendo Antonio Verantio Episcopo Agriensi Consiliario nostro, in tractatum venimus, quo ipse Agria ad tempus cederet, eamque nostrae curae, providentiae atque tutelae concrederet atque commendaret, praefectura imposita, praesidioque militum ad praesentes opportunitatis contra hostium insidias atque improvisas impressiones ordinandam; etiam ipsius ad hoc consilio petitioneque accedente, qua non multo ante tempore hortabatur nos non minus pie, quam prudenter, ut ei arci atque oppido aliter et meliore quidem modo prospiceremus, quam ad hoc usque tempus prospectum fuerat, atque ut sibi alium locum pro sua residentia tribueremus, postulabat; ac in has infrascriptas tractatus conditiones benignum illi assensum tribuimus.

Primum: Ut dictus Reverendus Episcopus omnes et singulos Episcopatus proventus, deinde arces duas, Agriam et Zarwaskew cum colonis, eorumque servitiis; quo earundem arcium conservationi commodius et liberius valeamus consulere, totamque rerum Agriensium administrationem, tutelam, curam ac providentiam nobis ad tempus credat et commendet, propter praesentium temporum pericula.

(2). Retineat autem sibi omnimodam jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam, cum jure Patronatus, quod habet a nobis donatum, super omnia beneficia ecclesiastica, et bona ac jura possessionaria dicti Episcopatus Agriensis, ne praefecti et moderatores Agrienses, vel donationibus, vel libertationibus, vel relaxationibus, vel similibus aliis titulis praedicta

bona et jura distrahant, in eius et Ecclesiae suae praeiudicium

(3). Ut nos mandemus expresse Praefecto, ne miseram plebem insolitis exactionibus et laboribus gravet, sed contentus sit ordinariis et consuetis, neve Episcopatus possessiones militibus in officia distribuat, unde vexatio colonorum, et desolatio memoratorum bonorum Episcopatus sequeretur, sed iuxta antiquam consuetudinem officiales adhibeat.

(4.) Ut mandemus eidem Praefecto, ut ad retinenda et tuenda ea jura supradicta, et existimationem in ipso Episcopatu, dicto Episcopo Agriensi omnino auxilio sit et protectioni.

(5.) Quod ad privilegia Episcopatus attinet, quum homines sint mortales, et incerta sit hora fati supremi, et successoribus eius, indemnitatique Ecclesiae consulere nos oporteat, privilegia Episcopatus apud Capitulum Posoniense pro secura custodia reponantur asserventurque.

(6.) Porro, ut pro illa Sede habeat receptum et locum residentiae commodum et securum, et proventuum pro sua portione cedentium certam conpensationem, conferimus eidem Praeposituram Twrociensem cum omnibus eius pertinentiis et utilitatibus, libere et pro suo arbitrio integre sine ulla pensione cuipiam ex ea praestanda possidendam tamdiu, donec Agria commode ei restitui poterit; et praeterea paratae pecuniae in monetis florenorum Rhenensium octo millia, quotannis eidem in tricesima nostra Zempciensi numeranda, et intra anni exitum persolvenda; atque initium a principio messis praesentis anni, calendis videlicet Augusti, sumendum decrevimus.

(7.) Praeterea, quum idem Episcopus non inten-

dat se abdicare praefato Episcopatui suo, et jurisdictionibus, arcibusque et colonis, ceterisque huiusmodi juribus suis, ne in quampiam diminutionem dignitatis suae Episcopalis, et rerum suarum aliarum iacturam decidat; annuimus ei ad eius humillimam petitionem, ut quoscunque capitaneos seu officiales successivis temporibus sumus constituturi in arcibus Episcopatus dicti, Agriensi et Zarwaskew, in eis deligendis et constituendis eius quoque opinionem et consilium clementer intelligamus, et ut eidem pro Episcopalis dignitatis respectu Praefectus sit iuratus, quod illum Episcopum et Patronum loci agnoscet, et si quando iusserimus, ei arcem resignabit, nec contra eius iura quicquam molietur, salvo nobis corporali dominio ad tempus; eundemque honorifice habebit, et ubi erit necesse, tuebitur a proteget.

(8.) Praeterea ut eo maiorem gratiae nostrae in se inclinationem memoratus Episcopus agnoscat, concessum ei etiam esto, ut coloni in pertinentiis Episcopatus ipsum dominum terrestrem et Episcopum agnoscant; modo ne in proventus et servitia arcis se ingerat. Licebit ei etiam vineas suas colere, quemadmodum ipsemet postulat, suo sumptu, suoque modo, absque arcis detrimento. Si quae porro vineae ab antiquo ad arcem pertinuisse compertae fuerint, eas ad arcem possidendas permittat.

(9.) Ubi autem Capitaneus noster Agriae collocandus ita, ut praemissum est, iuraverit; Reverendus Episcopus Agriensis Antonius Verantius illi administrationem Honoris Comitatuum, quorum ipse Comes est, Hewesiensis, et Borsodiensis, committat, uti is ipsius loco ea authoritate fungatur, et judicia administret, et iurium eius possessionariorum procurationem

obeat, et quaecunque controversiae et negotia colonorum inciderint, discernat, iuxta id, quod idem Episcopus sese obtulit facturum; ne multiplici gubernatione status loci perturbetur.

(10.) Liceat etiam ei de quartis statuere, quae jurisdictionem decimarum episcopalium sequuntur; ita tamen, ut parochis, et altaristis, et ceteris ecclesiasticis personis liberae eorum quartae relinquantur, ut habeant, unde sese sustentent; ne Ecclesiae subtractis beneficiis, parochis et ministris destituantur. Ac si quae essent quartae vel vineae Ecclesiarum aut altaristium, ubi illae parochis aut altaristis vacarent, curam adhibeat dictus Episcopus, ut personas idoneas substituat, eisque eiusmodi vineas, et quartas, atque beneficia conferat. Si tamen Catholici tales ministri non invenientur, Episcopus eorum pro suo arbitratu, qui Ecclesiae Agriensi serviunt, curam habeat; nec tamen easdem, sive parochias sive altaria, sectariis et alienis a dogmate Ecclesiae Catholicae conferat.

(11.) Quod ad habitationes attinet, concessae sunto ei habitationes solitae in arce Agriensi, cum Agriae fuerit, et alia domicilia eius usibus necessaria; ita tamen, ut eo absente Praefecto et officialibus eisdem habitationibus et repositoriis uti liceat.

(12.) Magister Scholae, Fiscalis, quatuor Capellani Praelati, nec non Procurator Episcopatus, Vicecomites duo Hewesiensis et Borsodiensis, Campanator et Subcustos de redditibus Episcopatus conserventur, si ab antiquo iis de redditibus sustentatio est suppeditata, pro veteri eius Ecclesiae consuetudine.

(13.) Sciat autem Reverendus Episcopus, demandatum esse Praefecto, et eius instructioni insertum, ut Clerum totius sui Episcopatus Agriensis per totam

Dioecesim existentem, specialiter vero Capitulum suum Agriense una secum, et Ecclesiam suam, et religionem Catholicam pro suis viribus tueatur et protegat, cum omnibus bonis et iuribus possessionariis eorundem, et in arce, et in oppido nullo modo, neque in pagis totius vallis Agriensis, et in villis eidem contiguis, quantum fieri poterit, concionateres et magistros scholarum haereticos teneri, foverique etc. patiatur, neve statum eundem Agriensem, quem reperit, deteriorem faciat, sed potius meliorem reddendum curet.

(14.) Quum porro frumentis et vinis ex huius anni messe atque vindemia collectis, Agriam toto anni decursu usque ad futuram messem, tam solutionibus, quam commeatibus provideri ac sustentari oporteat; frumenta proinde ac vina tum ex decimis Episcopatus, tum ex nonis aut aliis quibuscunque colonorum contributionibus consuetis ac legitimis contracta, et ceteros etiam proventus integre ac in universum, ac citra omnem divisionem necessitatibus Agriae cedat et relinquat. Nec secus reputet in ea parte, quam si haec transactio ante messis praeteritae exordia secum sit inita, cum tractatus inter nos et ipsum dudum antea fuerit institutus. Si quae vero ex superiorum annorum divisionibus, pro sua rata, frumenta et vina adhuc supersunt, illa salva ipsi sunto, et liberae eius dispositioni relinquuntor. Itidem etiam vina, quae ex eius vineis propriis provenerint, aut ipsius aere fuerint comparata, seu vina seu frumenta, aut aliter ipsi proprie obvenerint, relinquuntor.

(15.) Quantum ad decimas superioribus annis pro necessitate nostra ad provisionem Cassoviae, ceterorumque finium perceptas attinet, rationibus cum

dicto Episcopo subductis, id quod pro tertia parte deberi liquebit, ei sine difficultate praestetur.

(16.) Ubi autem Episcopus postulat, ne decimae per dispartitionem progressu temporis ab Episcopatu alienentur; sciat, non esse animum nostrum, ut illae aliis distribuantur, vel in diversa distrahantur; verum ut ad solutiones et necessitates Agriae conferantur, et imposterum iuri Episcopatus integre conserventur, etiamsi pro servitiis collatae quibuspiam fuerint decimae aliquae, qui eas pro tempore percipient. Cautum tamen esto, ne per hoc successivis temporibus tanquam haereditario iure ab eisdem usurpentur.

(17.) Si quid Episcopus comperietur de sua propria portione tertia ad necessitates Agrienses exposuisse, aequum censemus, ut id illi reponatur, idque clementer fieri demandabimus.

(18.) Quod spectat ad officialium rationes, si ii subductis calculis convicti fuerint, facturi sumus id, quod aequitas et justitia postulabit.

Atque haec praescripta omnia testamur et promittimus nos rata, grata et firma habituros et observaturos; harum nostrarum vigore et testimonio litterarum, quas pro maiori robore manu nostra propria signavimus, sigillique nostri secreti appensione communivimus. Datum in civitate nostra Viennae Austriae calendis Decembris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio; Regnorum nostrorum Romanorum tricesimo tertio, aliorum vero tricesimo septimo.

Ferdinandus mp.

Ad mandatum domini Electi
Imperatoris proprium,
Leon. Puchler de Weittenegg mp.
Erasmus Haidenreich mp.

XII.

Ferdinánd császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, 1563. dec. 4.
Domine, domine Imperator mihi semper clementissime. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Sacratissimae Maiestatis Vestrae humillimam commendationem. Egregius Franciscus Horwath de Petropolya alter Capitaneorum meorum Agriensium, quem mihi Sacratissima Maiestas Vestra clementer commendare dignata est, egestate et necessitate, qua nihil est importunius, impulsus, denuo accessit ad Sacratissimam Maiestatem Vestram, ut eidem quam humillime supplicet, quatenus eidem Sacratissima Maiestas Vestra iam tandem stipendia, quae de superioribus servitiis restant insoluta, benigne reddi mandaret, ac in servitio suo locum aliquem rursus e ordinem tribuere dignaretur. Quia vero a me vehementer contendit, ut supplicationem suam intercessione mea apud Maiestatem Vestram Sacratissimam adiuvarem, officium ei hoc minime denegare potui. Dignetur itaque, quaeso Sacratissimam Maiestatem Vestram, pro sua erga omnes benemeritos servitores Imperiali et Regia inclinatione eius personae et supplicationum gratiosam habere rationem, easque clementer exaudire; daturus sine dubio operam, ut fidem, diligentiam et industriam suam Sacratissimae Maiestati Vestrae magis ac magis approbare possit. Deus Optimus Maximus Maiestatem Vestram Sacratissimam diu in-

columem et felicem conservet. Posonii IIII. Decembris 1563.

Eiusdem Vestrae Sacratissimae
Caesareae et Catholicae Maiestatis
servitor subiectus et obedientissimus,
Agriensis mp.

Kívül : Sacratissimae Caesareae et Catholicae Romanorum ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Regiae Maiestati etc. Domino, domino Imperatori mihi semper clementissimo.

XIII.

Ferdinánd császárnak Verancsics Antal.

Ad Caesaream Maiestatem Agriensis.

1563. dec. 8. Quum semper ab initio summo studio contenderim voluntati ac mandatis Sacratissimae Maiestatis Vestrae subesse et obtemperare; ne hoc quoque tempore, quo de meis maximis rebus agitur, committam, ut ab Eadem notari atque argui possim, meo me verbo non stetisse. Et, si forte debito diutius pro aliquibus transactionis, mecum constituendae partibus institerim; non feci hoc, clementissime Imperator, quod voluissem Sacratissimam Maiestatem Vestram cogere contumacius ad aliquid, quod ipsa nolle se decrevisset; sed ut ostenderem, quantum habeam repositum in sua erga me clementia; speraremque, quod, quae mihi antea ultro, non petenti, duos etiam Episcopatus

clementer contulerat, nunc iam petenti adeo summulam exiguam non esset negatura. Semper enim ab initio tractatus ductus sum ab iis, qui mecum etiam Agriae tractaverunt, spe et promissione octo millium florenorum Hungaricalium, de quo decretum quoque Serenissimi Regis fuit ad me transmissum. Verum, quia id gratiae mihi ab Eadem, nescio, quo malo meo fato, impetrari non liceat; illud saltem supplico, dignetur clementer exorari, ut pro florenis 8000 Hungaricalibus septem millia Hungaricalium mihi in tricesima, uti iam dictum est, Zempciensi pendantur, humillime etiam contentus, ut, iuxta Sacratissimae Maiestatis Vestrae clementem deliberationem haec ipsa quoque annua pensio habeat exordium a prima die Augusti praesentis anni, sicque pendatur mihi pacifice, ne in ea assequenda molestiarum et impedimentorum aliquid sufferre cogar.

Hisque iam tandem ad finem perductis, humillime supplico, dignetur Maiestas Vestra clementer mandare, ut necessariae litterae et mandata, quae huc videntur facere, citra aliquam longam longiorem dilationem expediantur, possessioque eiusdem Praeposituraе assignetur mihi; quia, ut sum modo, commode esse minime possum.

Praeterea dignetur etiam clementnr Maiestas Vestra expresse Camerae suae Hungaricae committere, ut praefatam summam septem millium florenorum Hungaricalium praesentis anni primo quoque tempore curet mihi integre, et sine dilationibus numerandam et persolvendam, quo de sustentatione mea anni ineuntis disponenda mihi provideam. Quia Praepositura nuda omnibus fructibus suis relinquetur, suntque adhuc longissime fructus novi.

Supplico etiam humillime, dignetur clementer Maiestas Vestra annuere, et praefatae Camerae suae in mandatis dare, quatenus iuxta modum et consuetudinem aliis quoque hactenus in eiusmodi deputationibus solitam, liceat mihi hominem meum proprium in dicta tricesima penes ipsos tricesimatores tamdiu tenere, donec summa ipsa septem millium florenorum Hungaricalium plenarie in meam rationem exigatur.

Quoniam vero missae sunt ad me quaedam tres appendices nomine Maiestates Vestrae, antea numquam a me auditae, neque intellectae; ut scilicet inprimis Conventum Praepositurae memoratae restaurem, exequutionesque ex eo juridicas fieri faciam, monachos et concionatores ac scholae magistros, aliaque in eo similia pro ecclesiastico more servem; deinde, ut Jesuitis quotannis florenos 400 pendam; postremo ut ex oppido Selye peditum ordinem, quoties usus periculosi temporis postulaverit, in arcem Vywar tenear transmittere : clementissime Imperator, quum mihi ab initio per Reverendissimum dominum Transsilvaniensem verbo Vestrae Caesareae Maiestatis Praepositura Turocensis oblata sit libera et immunis ab omni et pensione, et a quorumvis onerum obligamine; supplico Vestrae Caesareae Maiestati, dignetur etiam sic illam ad postremum mihi conferre. Quum indignissimum esset; si ego, permisso toto Episcopatu meo Agriensi commodis et tutelae totius Regni, quod non video ullum adhuc privatum hominem in hoc Regno fecisse, cogerer ex tam tenui beneficio Reverendissimi etiam domini Strigoniensis, qui tanta bona possideat, arcem defendere et sustentare; ceterum Jesuitis quoque esse tributarium.

Quae omnia quum Maiestas Vestra pro sua sapientia bene considerat; quum etiam mirer, ad quae redigar quorumdam suggestionibus; illa humillime polliceor : curam me fidelissime habiturum, ne quid Praepositurae Turocensi ecclesiastici muneris deficiat; habiturus etiam studium, ut reparetur, et exequutiones juridicae ex ea petantur; etiamsi de his non fuissem monitus.

Oppidani vero de Selye non sunt, clementissime Imperator, obligandi servituti arcis Vywar; quia hac ratione non essent futuri mei; nec ex eis ulla mihi utilitas proveniret. Alioqui Maiestas Vestra dignetur clementer meminisse, quod in proxima diaeta constitutum sit, quantum quaelibet bona vicinis arcibus finitimis servire et auxilio esse debeant. Igitur, si ad hanc publicam constitutionem privato etiam iugo aliena bona oporteret premere; Maiestas Vestra clementer videat, an hoc non esset contra et Deum, et omnem aequitatem; supplicoque, ut dignetur eos liberos mihi cum reliquis eiusdem Praepositurae colonis relinquere. Alioqui, quum ego non sim alienus ab incolumitate publica; id officii et discretionis remittant mihi, qui huiusmodi absurda suggerunt in medium; quum non solum Selye, sed etiam totus ille Comitatus teneatur arci Vywar adesse, periculo ingruente.

Jesuitis autem ut sim tributarius, obsecro Sacratissimam Maiestatem Vestram per Omnipotentem Deum, immo etiam per incolumitatem suam et omnium suorum, ne me gravet hoc onere. Alioqui, si quid talis indignitatis subire ac ferre commeruerim; mori ero paratior, quam huic rei subjici etvivere. Supplico itaque humillime, dignetur mihi Maiestas Vestra Caesarea, et in hoc, et in aliis rebus, esse gratiosa, ut Eidem ac

suis Serenissimis liberis, dominis meis clementissimis etiam imposterum non obscurus serviam. Quas Deus etc. Posonii 8. Decembris 1563.

XIV.

Magócsy Gáspár mint Eger vára ujonan kinevezett parancsnokának utasítása.

1563. dec. 10. Instructio Magnifico fideli nobis dilecto Casparo Magochy Comiti Comitatuum Bekes et Torna, et in praesentiarum Agriae designato Capitaneo nostro, data super negotiis in hoc officio summa fide et diligentia expediendis.

Ferdinandus etc : Primum est, quod idem Magochy propter eius dexteritatem reique militaris peritiam, et infracti animi constantiam, in Capitaneum nostrum Agriensem hisce creatus, constitutus et deputatus, in hoc suo officio, Agriam ipsam plurimum importantem, nec non Turcis et aliis adversariis nostris diu iam exosam, cum omnibus eius attinentiis integram et incolumem nobis, atque Regni nostri Hungarici Coronae conservare studeat, et in hac parte spei nostrae de eo conceptae respondeat.

Secundo. Hanc ipsam arcem, eiusque pertinentias et redditus absque speciali permissione nostra nemini quovis modo cedat; quam nobis vel Serenissimis liberis nostris, in hoc nostro Hungariae Regno nobis legitime successuris. Qui cum eam quandocunque repetierimus, sibi non sit integrum seu licitum, in cessione

vel resignatione ullam difficultatem aut tergiversationem facere.

Tertio. In hac nostra arce vel eius oppido, ordinarie praesidium quadringentorum equitum et trecentorum peditum alat. Et ex his centum et quinquaginta equites sub eiusmet, centum item sub vicegerentis sui vexillum, reliquos autem equites sub tres aut plures, si ita sibi videbitur, primarios, militari scientia et gravitate pollentes, de quorum fide, dexteritate et integritate non sit dubitandum, distribuat. Singulis item centenis peditum suos waywodas idoneos et probatae fidei homines praeficiat; adhibitis timpanistis, tubicinibus et vexilliferis pro more militari ad tantum equitum et peditum numerum necessariis. Et sub hoc ordine atque apparatu tam equites quam pedites a primordio officii sui, quamdiu in eo manserit, singulis tribus mensibus lustrandos exhibeat commissariis nostris, quibus huius rei munus pro varietate temporis demandaverimus.

Quarto. Concionatores amovendo vel introducendo, sive vero Ecclesiae ritus et ceremonias abolendo aut mutando, in religionis negotium sese non ingerat, militibusve aut aliis eius jurisdictioni subiectis eandem potestatem non faciat. Quin imo hanc curam iis relinquat, quibus ex officio incumbit; hos etiam tueatur et defendat, quando eos alii in eiusmodi eorum officiis offendere, impedire aut perturbare conabuntur. Insuper blasphematores, violentos, et aliis his similibus vitiis notatos, inter milites, cives, seu inquilinos non ferat; sed debito modo in exemplum aliorum tales puniat, ut simul honos Divinus et bona disciplina foveatur. In bona item Capituli Agriensis, seu aliorum ecclesiasticorum vel nobilium circa

Agriam residentium sese non ingerat, hisque iniuriam aut vim non inferat, nec a suis inferri patiatur. Cives denique oppidorum ad Agriam pertinentium juribus, privilegiis et libertatibus, praeter id, quod pro ipsorummet conservatione ad arcis sustentationem praestare debebunt, non deroget. Sed his omnibus pro more boni Christiani patrocinetur; tunc Divina sua Maiestas contra nominis sui hostes, ipsius et militum conatibus sine dubio successus felicissimos largietur.

Quinto. Inducias, quas cum Principe Turcarum inivimus, candide observet, eruptionibusve aut ullis aliis mediis, hostibus infringendi eas materiam non praebeat; pedites item vagabundos et praeda viventes, non foveat; quinimo mutuae tranquillitati studeat. Et ut milites, cives, et reliqui suae potestati subditi idem faciant, sui officii authoritate omnino efficiat, in eos graviter animadvertendo, qui hoc nostrum edictum excesserint; de reliquis vero finium nostrorum praefectis et inhabitatoribus inducias quovis modo violantibus, nos edoceat, et in eos animadvertendi curam nobis relinquat. Sin autem Turcae his omnibus non consideratis in ditione nostra milites seu subditos nostros opprimere, aut novis et a die firmataram inductarum inconsuetis contributionibus seu servitiis onerare conabuntur; tunc eos hostili modo persequi, capere et interficere poterit. Et si hoc modo praedam aliquam obtinebit, levata pro se eius praedae ad summum tertia parte, residuum militibus de more et consuetudine ipsorum distribuendum relinquat; signanter vero passas, zanczakos, et begos, si qui caperentur, nobis retineat atque transmittat.

Sexto. Agriae fortificationem colonorum opera, absque nimia tamen eorum gravamine, summo studio

prosequatur, et citra eam aedificia principaliora et plus necessaria semper primo absolvat; nova vero absque praecedente deliberatione architecturae peritorum per nos illuc mittendorum, quotiescunque de his moniti fuerimus, non aggrediatur; horum item sententiam postea in aedificatione recta imitetur. Et quia eiusmodi fabrica absque paratis pecuniis, quibus opificibus, lapicidis, fabris, carpentariis et his similibus solvatur, nec non instrumenta fossoria, funes, ferrum, et reliqua materia ematur, continuari prorsus nequeat; ideo ipse Magochy ad hos usus eam pecuniarum summam singulis annis fideliter impendat, de qua Commissarii nostri eo ablegandi, visa aedificiorum absolvendorum qualitate, cum eo convenient; de his etiam pecuniis singulis annis rationes reddat; et, si erit opus, exhibeat, quid quolibet anno aedificarit, numquid facti labores pecuniis impensis respondeant.

Septimo. Ad eventum inopinatae obsidionis in arce reponat, atque assidue in promptu habeat, eam omnis generis victualium copiam, quae justo eius praesidio, si non ultra, ad minus tamen sex integros menses sufficiat. Et si ea interdum propter vetustatem divendenda, aut recentibus commutanda erunt; iis temporibus id faciat, quando sibi nullum obsidionis periculum incumbere videbit.

Octavo. Procuret sedulo, ut bombardae, globi, pulveres et reliqua instrumenta bellica, non hinc inde in arce disiecta iaceant, sed in idoneo, et quoad eius fieri potest, ab ignis periculo remoto loco existant. Praefectus etiam eiusmodi nervorum bellicorum, et reliqui bombardarii, in conficiendis ignitis, renovandis confortandisque pulveribus, et his similibus officium ipsorum faciant. Et si in globis, ferro, funibus, instru-

mentis fossoriis, et huiusmodi rebus defectus reperietur, ipse eum istic resarciat ex proventibus arcis, cum ei non desit in Districtu Scepusiensi rerum istarum comparandarum copia; signanter vero salnitrum ab illorum locorum incolis, qui illud contribuendi occasionem habent, inter quos praecipue Debreczenienses commemoramus, potius quam pecuniam exigat, et eius competentem quantitatem in Agria ad futuros belli usus reponat; et si quid erit residuum, nobis ad reliquorum finium nostrorum usus impendat, quemadmodum hisce nostris eius rei exigendae potestatem sibi dedimus.

Et quia manifestum est, Agriam in eum statum devenisse, ut semper idoneo et sollicito capitaneo summopere egeat; ideo ipse continue, maxime vero obsidionis tempore in ea manere, neque insciis nobis inde quopiam discedere debeat.

De sumptibus vero ad praescripta omnia et singula praestanda, ut se praestiturum promisit, et reversalibus suis litteris confirmavit, necessáriis, Consiliarii Camerae nostrae Aulicae cum eo conveniant. Cuius tamen conventionis articulos itidem manu et sigillo nostro roborabimus.

Ceterum ipsi hanc quoque facultatem dedimus, quod in primordio sui officii equites et pedites praescriptos, eorumque capitaneos, ipsemet assumere, et qui ei in rebus ad nostri et Regni emolumentum spectantibus non obediunt, vel quovis alio modo excedant officium, sive primarii viri fuerint, sive gregarii milites, ex sententia bonorum et legis peritorum virorum, primarios viros iuxta qualitatem delicti punire et exauthorare possit; dummodo quod quos dimiserit, et propter quod delictum id fecerit, quem denique in

dimissi locum substituere velit, nobis qualibet vice significet.

In constituendis etiam et perquirendis equitibus atque peditibus veteranorum militum nostrorum imprimis rationem habeat, extraneosque et ignotos, vel adversae parti faventes non recipiat, ne haec sibi data facultas irrita fiat.

Ad haec Supremis Capitaneis nostris, in Scepusio et ante Montanas Civitates constitutis, cum quibus mutuo correspondere debebit, commisimus, ut sibi auxilium ferant, quandocunque solus iis resistere non poterit, qui forte sibi proventus seu decimas eripere conabuntur.

Comitatus, item Magnates et nobiles Regni, quorum interest, interpellabimus, ut iuxta publicas Regni Hungariae constitutiones operarios ad Agriae fortificationem expediant, in eaque oblatos de singulis centenis subditis ternos equites continue alant, et in utroque puncto reipsa praestent, quod in Conventu Posonii proxime celebrato in se receperunt.

Quam denique limitationem certis quibusdam Magnatibus, Comitatibusque et Civitatibus Superiorum Regni Partium de maturo subsidio Agriae in obsidionis periculo ferendo, superioribus annis transmisimus, nunc quoque iisdem Magnatibus, Comitatibus et Civitatibus mediantibus Commissariis nostris ipsum Magochy investituris iterum ad memoriam revocabimus, mandabimusque ipsis, ut in eo periculo quisque designatum suum numerum in Agriam mittat, ibidemque tamdiu relinquat, donec auxiliares copiae nostrae eo pervenerint.

De obsidione item, quam forte Turcas, vel adversarios Agriae meditari ab exploratoribus nostris

intelligemus, ipsum tempestive edocebimus, et quae in hoc casu ad eius loci, totiusque Regni nostri conservationem et incolumitatem spectabunt, haud dubie suscipimus. E converso ipsemet quoque sibi fidos et idoneos exploratores constituere debebit, ne nobis propter fortuitos quoslibet rumores frustraneos sumptus faciat.

Postremo liberum erit nobis, quandocunque ipsum ab hoc officio amovere voluerimus, dummodo ipsum de hac nostra voluntate duobus mensibus antea certum reddiderimus; quod et ipse facere debebit, si in eo permanere noluerit.

Quia vero sibi de omnibus rebus et negotiis in tali loco finitimo plerumque emergentibus certus modus et ordo praescribi non potest, confidimus iccirco, ipsum Casparem Magochy pro sua summa erga nos fide, non solum praemissa, verum etiam cuncta alia negotia ad loci saepe dicti conservationem spectantia indefesso studio curaturum, et tam maturo consilio, quam opere et re ipsa praestiturum, quae a fidele et solicito capitaneo fieri et praestari possunt.

Et si ei graviora quaedam negotia occurrent, quam ingenii sui vires sufferre possunt, ad nos, vel nobis absentibus Serenissimos liberos nostros, et quos pro varietate temporis Supremos Capitaneos constituerimus, recurrat.

In quibus omnibus expressam gratioseque recognoscendam voluntatem nostram faciet. Datum Viennae 10. Decembris MDLXIII.

XV.

Verancsics Antalnak a turóczi prépostság adományoztatik.

Nos Ferdinandus etc. memoriae commendamus 1563. dec. 13.
tenore praesentium significantes quibus expedit universis; quod nos attentis praeclaris virtutibus et meritis fidelis nostri Reverendi Anthonii Verantii Episcopi Ecclesiae Agriensis, Comitis perpetui Comitatus Hewesiensis et Consiliarii nostri, quibus eum nostra propria experientia praeditum esse cognovimus, et nihilominus pensantes eximiam devotionis et fidelitatis sinceritatem, qua idem honori et commodis Maiestatis Nostrae servire non cessat; eidem Praeposituram Conventus Ecclesiae Beatissimae Virginis Mariae in Comitatu Thurociensi existentem et habitam, per mortem fidelis nostri Reverendi quondam fratris Joannis Colosuariensis, Episcopi Ecclesiae Chanadiensis, eiusdem Praepositurae ultimi veri et legitimi possessoris, nunc de iure et de facto vacantem, authoritate juris Patronatus Regii, quod generaliter in omnibus Regni nostri Hungariae Ecclesiis more praedecessorum nostrorum, eiusdem Regni Hungariae Regum, felicis recordationis habemus, simul cum totalibus castris Znyo, nec non oppidis, villis etc. tam in dicto Comitatu Thurociensi, quam in aliis quibusvis Regni nostri Hungariae Comitatibus existentibus et habitis, ad eandem Praeposituram Thurociensem de jure et ab antiquo spectantibus pertinereque debenti-

bus, in commendam duximus dandam et conferendam. Ita tamen et istis sub conditionibus, ut idem Conventum Ecclesiae istius restauret, et in pristinum statum redigendo in integrum restituat; religionem eiusdem Conventus secundum regulam illius ordinis reformet; item ut in Conventum personas regulares et idoneas more aliorum Conventuum, prout scilicet ibidem ab antiquo consuetum, sed praeteritis hisce disturbiorum et bellorum temporibus intermissum fuit, intertenere, et per easdem executiones juridicas in Comitatibus eidem Praepositurae in faciendis executionibus ab antiquo subiectis, fieri curare; Divina officia, verbique Divini et sacramentorum administrationem debite peragi et obiri facere; doctum item et Catholicum ludimagistrum, quo iuventus in litteris et vera religione recte erudiri et institui possit, intertenere debeat et teneatur. Et quum praeterea fidelis nobis sincere dilectus Reverendus in Christo pater Nicolaus Olahus Archiepiscopus Strigoniensis, Primas Hungariae, Legatus Natus, Summus et Sacretarius Cancellarius ac in Hungaria Locumtenens noster etc. in eiusdem Praepositurae oppido Sellye, hactenus usquedum Praeposituram illam tenuit, certum ordinem instituerit, secundum quem pedites et eorum decuriones tempore necessitatis arcem Wywar armati cum banderio et tympano militari praesidii causa intrare et ibi manere fuerant soliti; idem quoque secundum eandem ordinationem imposterum memorati oppidi Sellye inhabitatoribus committat, ut postulante necessitate ad mandatum provisoris et Capitanei in dicta arce Wywar pro tempore constitutorum, armati, ut dictum est, more militari pro praesidio in eandem arcem venire, ibique tamdiu, donec necessitas postulaverit, manere

et perseverare, ac Capitaneo ipsi in rebus bellicis omnem obedientiam praestare debeant et teneantur; imo eligimus et nominamus, damusque et conferimus, harum nostrarum tenore et testimonio mediante. Quocirca vos fidelem nostrum memoratum nobis syncere dilectum dominum Archiepiscopum Strigoniensem etc. praesentibus clementer hortamur, quatenus praefatum Anthonium Verantium in dicta Praepositura Thwroczensi ordinaria vestra authoritate canonice instituere, investire et confirmare non omittatis; praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Wiennae XIII. die mensis Decembris anno Domini M° D° LX° III°.

XVI.

Károly főherczegnek Verancsics Antal.

Ad Serenissimum Archiducem Carolum.

Reverendissimus dominus Strigoniensis maxime instat apud Suam Maiestatem Caesaream, ne mihi Praepositura Turocensis libera, uti est promissa, conferatur; sed ut oppidum eius Selye obligetur servituti arcis suae Vywar. Quasi et arx ipsa Vywar, et Archiepiscopatus Strigoniensis colonos non haberet, et quidem multo plures, quam Praepositura illa. Et quia non facit hoc, quod admodum egeret opera illius miserae et tenuis plebeculae; sed tantummodo, ut indignationi suae, quam in me contraxit ob memoratam Praeposituram, satisfaciat: ad clementissimum Sereni- 1563. dec. 19.

tatis Vestrae praesidium confugio, supplicoque quam summisse, dignetur benigniter favere mihi apud suam Maiestatem Caesaream, ut id ipsum oppidum immune mihi relinquatur ab hoc vinculo. Quia sine dubio nulla bona diu salva permanere possunt, quibus a duabus partibus dominatur et praecipitur. Alioqui bene norunt Maiestates Vestrae, quanto studio ego semper fuerim, ut confinia vicinorum auxiliis non destituantur. Quo studio certae sint Maiestates Vestrae, quod arci quoque Vywar non sum defuturus; postquam incipiam eius esse accola; tantummodo non imponatur mihi hoc vinculum, scripto expressum, quod non solum me, sed etiam totum illum Comitatum concernit. Si autem ad publicam Comitiorum proximorum constitutionem de ferendis auxiliis finitimis locis, privatum etiam onus accesserit; videat clementer Vestra Serenitas, quo animo etiam illi miseri subditi erunt; quando intelligent, meo tempore sic se esse pressos. Supplico itaque humillime Serenitati Vestrae, dignetur mihi hoc favoris sui clementer impertiri et efficere, ne frustrer hac prima mea supplici petitione, quam ad eamdem detuli summa certe et spe, et fiducia, exoratorem me futurum. Deum interim etc. Posonii 19. Decembris 1563.

XVII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1561. jan. 25. Salutem opto et felicitatem. Litterae, quas per dominum Petrum Cippium missas accepi, magnum

mihi non solum gaudium, sed etiam consolationem exhibuerunt; imo eas ut quasi cuiusdam reconciliationis symbolum amplexus sum. Nam cum nullas habuissem ab anno et amplius, non sine ulla alienati a me animi suspicione degebam. Quas tamen cum perlegissem, solito suae benignitatis humanitatisque stilo plenas, moreque solito ad me scriptas, plane, crede mihi, serio consolatus sum. Quod enim aliud, quam Deum et dominationem Vestram Reverendissimam habeo vitae et familiae meae refugium? Certe nullum.

Porro, ut breviter ad praecipua eius epistolae capita respondeam. Quod mihi dominam Angelicam matrem nostram ita commendat, placet mihi; quin in eadem opinione sumus. Nam ego coram decedenti patri, et ipsi postea eadem promisi, et praestabo adiuvante Domino; modo ipsi a me id amoris et charitatis voluerint acceptare. Habeo enim curam honoris et existimationis domus nostrae, et habebo, donec vixero; utcunque a me accipietur, quia mirabilis gens est.

Quod autem scire cupit, si quae moriens pater mihi secreto mandata dedit; sciat, quod nulla, nisi ea quae in litteris per Joannem Crisanich missis, perscripseram.

Quod vero de migratione mea in domum paternam scribit, intellexi. An ego exul ab avitico habitaculo ulterius degam? Certe non faciam; nostram namque illam domum esse existimo. Et sicut per proximos nostros seniores eam collapsam vidimus; ita spero per novam hanc prolem iterum erigi, et in splendidiorem statum fundari brevi videbimus. Quod autem nunc ad aedificationem attinet; fient sedulo, quae fieri poterunt. Primo tamen loco cisterna perfici debet; quod

non tam ad commodum, quam ad existimationem et opinionem hominum attinet.

Ceterum quod eos homines, quos ad dominationem Vestram Reverendissimam misi, charos habeat ob meam commendationem, habeo gratias; quodque eos una cum nato et fratre mittere ad nos brevi promittat, cum ingenti desiderio expecto. Tardationis autem aliam causam non puto, nisi nimbum a Tragurio, qui concussit fruges nostras. Semper enim ex transverso occurrunt, qui panem filiorum praeripiunt. Atque utinam saltem gratitudinem praestarent. Nam voces quasdam hic sparserunt, parum nobis honorificas, licet mentientes.

Intellexi praeterea ex litteris puerorum, quod dominatio Vestra Reverendissima cum Fausto missura est etiam suum praeceptorem. Quod mihi superfluum esse videtur. Nos enim hic neque forum rerum venalium, neque coquinam habemus. Nam saepe nos solae cimulae caulium in lectum componunt. Quousque tamen hic fuerit, non deerit illi praeceptor. Fiat tamen ut dominationi Vestrae Reverendissimae placebit.

Ad eius posteriores litteras, quas per Ludovicum Celium missas accepi; aliud respondere non attinet, nisi quod mirum in modum probo compositionem illam cum Caesarea Maiestate, et credo, quod ad illam vivendi vitam, iam olim desideratam, nunc venire incipiet, omissa illa sanguinaria et carceraria, quae solis trasonibus conveniens est. Vere Regium opus est, tueri fines, et curare militiam; Praelati autem longe diversam administrationem exercent.

Ex hoc spero, quod dominatio Vestra Reverendissima iam soluta illis curis multiplicibus, facile impetrare poterit duos aut tres menses invisendi nostri

gratia; quod profecto et necesse est. O utinam illum diem saltim ego videre possim! si pater non potuit Reverendissimae dominationis. Ut autem sciat; emi in Cernice, quae villa est in suburbio, duas domunculas lapideas, quae sunt in curia pallacii eorum de Lignitit, et partem hortus, quae nondum solvi. Et haec pro tenendis animalibus minutis et vaccis loco certe valde commodo et propinquo; quem non ignorat dominus Joannes presbiter. Emi etiam totam possessionem Lucocich in insula Pernich; his de causis, quod scilicet erat nostrae contigua; sed hoc nihil esset, magis autem, quod olivetum et ficetum habeat egregium; potissimum vero, quod est possessio nostra olim avitica, et quod in ea domo parens noster natus sit. Sunt gognalia 16 in domo lapidea. Erit, si Deus voluerit, uni ex filiis satis commoda habitatio.

Quod reliquum est, opto dominationem Vestram Reverendissimam optime et feliciter valere, una cum omnibus nostris, quos si nunc commode ad nos expedire non poterit, saltim Gregorium dignetur expedire. Salutem dico omnibus ibi, qui me cognoscunt. Ex Sibenico 25. die Januarii 1564.

Michael Verantius
frater et servitor.

Kívül. Reverendissimo domino, domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, Perpetuo Comiti Hewesiensi, Sacratissimae Caesareae Maiestatis Consiliario, domino suo observandissimo.

Redditae 8. Mar. Pos. 1564.

XIX.

De Andreis Jeromosnak Verancsics Antal.

Ad Hieronymum de Andreis.

1564. febr. 2. Etsi nemo est mortalium, Hieronyme vir clarissime, qui non laudari desideret, quamvis etiam nulla sit laude dignus, nec in ordine laude dignorum hominum stationem obtineat; ea tamen sola laudatio honesta est et vera, quae a summis, a praestantibus, et a laudatis viris proveniat. Ut enim et ii non alios, quam similes sibi et laudare, et commendare consueverunt; ita et ab illis laudari, qui cum laude nihil commune habent, vituperium potius quam laus percipitur. Quod discrimen praecipue discemus, si nobiscum reputaverimus, qualesnam ii fuerint, a quibus laudamur.

Ego itaque laudatus proxime abs te una epistola, et epigrammate uno, de honoribus, de eloquentia, et de rara quadam, ut aiebas, rerum gerendarum industria atque peritia, placuit sane mihi plurimum, sed humano more, laudibus huiusmodi amplificari. Non id tamen propterea, quod ipsemet mihi placuissem, sed quod potius tibi placuerim in eo genere muneris, quod me tot legationibus summorum orbis Principum gessisse accidit, quodque a te et docto, et prudenti, et multis nominibus laudato, inque ista tua civitate Traguriense primariae nobilitatis viro fuerim laudatus.

Hac igitur ratione sis de his tuis partibus securus, quibus es erga me tam officiose functus. Nihil

enim eorum ommisisti, quae hoc argumento laude dignus amicus tuus desiderare abs te potuisset.

At videas, mi Hieronyme, ne ex ista tua laudatione, qua me tantopere amplificas, plus accedat tibi, quam mihi. Quum enim et tu, quod ego minime dubito, mirifice me veteris consuetudinis nostrae gratia diligas, et mea adhuc tota laus in cursu sit, necdum sudare ipse desierim, habens etiamnum in hoc senili statu, quibuscum contendam atque conflicter, illud eveniat, ut dicatur tibi, quod me valde amaveris, quodque intempestivus ea mihi tribueris, quae adhuc casui subiaceant, et successu carere possint. Nam et amore saepissime decipimur, et „laudandus est navigans, ubi in portum pervenerit," ait Beatus Gregorius.

Summa tamen rei haec est. Ut enim nulla laus ingrata est mortalibus, ita et nos, qui paulo a vulgo segregati sumus, tunc applaudemus laudibus huiusmodi, quum immortales esse coeperimus, ne quid haec aura temporalis, dum ea fruimur, aeternitati gloriae nobis adimat. Tuo tamen erga me amori ac studio responsurus, ita me et epistola tua, et epigramma affecit, ut utrumque opus saepius in manus sumpserim, et perlegerim, veterique tuo ingenio mirifice delectatus, qui iam nonnihil ultra senium in annis evagatus, etiamnum Musas suaviores colas, nec intermittis, dum vires suppetant, revisere Parnassi iuga.

Unde gratulatus tibi hunc optimum animi tui statum, precor etiam Deum immortalem, ut te in eo plurimos annos conservare velit. Interim vero amabis me, ut amas, et mei memineris, donec una esse poterimus, ubi tumultus Regni huius conquieverint. Reliquum est, ut me generosae dominae coniugi tuae, affini meae commendes, et ignoscas mihi, si etiam

versibus tibi non responderim. Dudum enim Reipublicae muneribus inauthorati et addicti studia pöetices reliquimus. Valeas incolumis, et felix. Posonii 2. Februarii 1564.

XX.

Verancsics Antalnak Hobordánszki Kristóf.

1564. febr. 10. Reverendissime Domine etc. Volui de his Vestram dominationem Reverendissimam certiorem reddere, quae die huius mensis nona Egregius Simon Forgach cum misero sene, socro meo, eiusque filio in domo sua propria in possessione Nagitalia egerit, et quam enormia contra Vestram quoque dominationem Reverendissimam eidem Simoni Forgach primum Franciscus Kathay et Blasius Kamothy. duo eius precipui consiliarii ad omnia illicita eum irritantes et incitantes, proclamaverunt; deinde ipsemet Forgach ad Sacram Caesaream Regiamque Maiestatem perscribit. Quae qualianam sint, ego in praesentia literis significare non audeo; sed ubi Dominus Deus Vestram dominationem Reverendissimam reduxerit, personaliter eidem referam, et ab aliis quoque intelliget.

Quod igitur nunc ad priora attinet, praefatus Simon Forgach die memorata cum sexaginta equitibus, inter quos et dicti duo eius consiliarii fuerunt, summo adhuc mane existente, venit ad possessionem Vestrae Reverendissimae dominationis Nagitalia, ibique per totam diem commessationibus et compotatio-

nibus vacans, vina miserorum colonorum plenis sca, phys et hidriis violenter auferri fecit.

Inter eos autem praefatum quoque socrum meum, virum nobilem, non praeteriens, sed in eius domum servitoribus suis missis, ac eius cellarii perfractis hostiis, simili violentia illius vina auferri facere voluit. Verum filius dicti socri mei id illis concedere recusans, subito eum ad purgamenta domus extractum, tam diris verborum plagis fecit affici, ut donec hae litterae ad Vestram dominationem Reverendissimam perveniant, illum moriturum esse omnino credam.

Haec autem pater prae oculis suis fieri cernens, paternis visceribus super carissimi filii sui crudeli nece permotus, eius vitam non armis, sed precibus, et intercessionibus defendere voluit. At in eum praeatus Forgach ex temulentia sua irruens, adeo severe verberibus tractavit, ut tres dentes imbecilli et decrepito seni excusserit; similiter alios etiam quatuor colonos Vestrae dominationis Reverendissimae, qui tum sequestratum, et deprecatum eo confugerant, in tantum fecit vapulari, ut moribundi in stratis suis decumbant.

Et sic peractis his malis, circa noctem mediam Agriam est reversus, interim arcis porta, quod saepe iam in hoc finitimo loco contigit fieri, per castellanos et reliquos custodes aperta ei asservata.

Quoniam vero Reverendissima dominatio Vestra bene novit, ipsum Simonem Forgach a Sua Maiestate non in eum finem huc esse missum, ut miseros subditos destruat, sed ut potius defendat; quod ipse plane non facit, sed magis in singulis villis cum copiis suis destruit, et eorum calamitates adauget, in quibus Vestra dominatio Reverendissima bene novit illos

quotidie versari propter intollerabilem servitutem et solutionem, quam Turcis impendere coguntur.

Sed nec his contentus Simon Forgach, die sequenti proprium suum currum cum peditibus pixidariis misit in domum dicti miseri soceri mei, ac unum vas vini, quod melius habuit, violenter ex aedibus illius auferri fecit.

Ad haec, Reverendissimae domine, idem Simon Forgach proximis diebus in praesentia multorum militum iactabundus dixit, quod Episcopus Agriensis multa damna sibi fecerit, et capitaneatum, quo Agriensis ei prodiderit „nunc tamen et ipse (inquit) profecto nasturtium eius naribus contundam."

Quamobrem Vestram dominationem Reverendissimam propter Deum rogo, velit de huiusmodi enormitatibus Sacram Caesaream Maiestatem informare, supplicareque, ut Sua Sacra Maiestas, tum communis justitiae intuitu, tum ob merita fidelium servitiorum meorum, et antecessorum meorum, proximorum ac parentum, qui etiam crudelissima morte fidelitatem suam Maiestati Suae Sacrae testatam fecerunt, dignetur tam serium mandatum dare ad dominos Commissarios, qui cum Vestra dominatione Reverendissima Agriam sunt venturi, ut hanc indignissimam rem jure mediante hic Agriae, et non alibi, revideant, et iustitiam de ipso Simone Forgach mihi meoque afflicto socero administrent; ex quo ille iam senex et pauper existens, vel octavas, vel alia judicia longinqua sequi non potest. Mandabit etiam Sua Maiestas valde serio ipsi Simoni Forgach, ut super suis perpetratis violentiis his coram Commissariis Suae Maiestatis iure stare debeat.

Alioqui si Vestra dominatio Reverendissima de

his curam non gesserit, brevi et Tallia, et Maklar, et tota ista vallis desolabitur; credat enim Vestra dominatio Reverendissima, quod haec omnia in iniuriam eiusdem facit. Datum Agriae 10. Februarii 1564.

Christophorus Hobordansky
miles Agriensis.

XXI.

Ferdinánd császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, 1564. febr. 13.
Domine, domine Imperator mihi semper clementissime. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Sacratissimae Maiestatis Vestrae humillimam commendationem. Litteras Sacratissimae Maiestatis Vestrae datas die ultima Januarii, undecima accepi Februarii; quibus Eadem Maiestas Vestra Caesarea clementer dignata est significare mihi, quod magna dissipatio victualium fieret Agriae per homines et servitores meos; immo etiam quod ipse ego his paucis diebus hinc inde ultra centum et quinquaginta acervos frumenti distribuissem, vina vero partim vasis integris, partim minutim, quotidie educillari facerem. Monet postremo benigniter, ut transactionis mecum initae recordari debeam, et abstineam imposterum ab eiusmodi eorundem victualium alienatione, curemque arci Agriensi restitui, quicquid ex ea esset evectum, nisi velim in pensione mihi deputata iacturam facere.

Ad quae, clementissime Imperator, summisse respondendo :

(1.) Quoniam et pensio memorata, et alia, quaecunque mihi sunt in fortunis, a Maiestate Vestra sunt; eadem quoque semper non mea, sed Vestrae Caesareae Maiestatis agnosco. Unde peroptime transactionis mecum initae memor, ubi primum factus sum certior de eiusdem transactionis tota et serie et forma, mox provisori meo misi articulum de ratione proventuum anni 1563., eique praecepi firmitur et serio; ut omnes et singulos redditus episcopales anni memorati sciat esse Vestrae Caesareae Maiestatis, neque ex illis quicquam ad partem meam tertiam desumat, pro qua Camera Hungarica esset quotannis imposterum mihi responsura, quoad praesens transactio duraverit. Praeterea. ut satageret totis viribus eosdem redditus universos summa diligentia et fide colligere, reponere et conservare, ne quid ambo reprehensionis subeamus. Nec praetermisi simile mandatum etiam ad meos alios homines, quos habeo Agriae, dare, expresse ea particula adiecta, ut si quid aut vinorum, aut tritici et similium aliorum nomine partis meae tertiae percepissent, subito in provisoris manus restituere.

(2.) Quod vero ad acervos attinet; clementissime Imperator, totus Episcopatus vix tot acervos facit. Si tamen ego iusserim unum, aut centum et quinquaginta dumtaxat grana vendere vel erogare mea causa; nullam poenam refugio, quam mihi Maiestas Vestra inflixerit. Verum est, quod quattuor aut circiter quinque milites Agrienses, bene meriti de arce Agriensi, rogaverant me per litteras, ut curarem victualibus aliquibus eis subveniendum, postquam non essent pecuniae, scripseramque ad meum provisorem, ut talibus sub-

veniret, sed quantum fieri posset, et citra arcis commeatuum diminutionem. Quicquid alioqui ultra hoc post discessum meum Agria in his commiserit sive egerit, ego certe nescio. Verum quoniam nihil tale facere possit, quod contrascriba nesciat, qui illi semper adhaeret, tota eius administratio cognoscetur, quum officii sui rationem reddet.

De vinis vero, quae mihi sunt Agriae extra partem tertiam; certe admodum pauca sunt. Nec eorum venditio, de qua inimici mei non palam, sed occulte loquuntur, tanti est, ut Maiestatem Vestram Caesaream molestare, me vero criminari debuissent, tanquam hominem Agriae alienum. Idque tam cito, et adhuc in re viridi; quippe qui etiam absentem insectari non desinunt. Sed parcat illis Deus, quem credo benigne habiturum causae meae rationem.

(3.) Interim tamen Vestra Maiestas Caesarea dignetur clementer habere persuasum, nunquam me etiam in maxima mea necessitate manus meas ingessurum in episcopales redditus, donec — ut iam praemissum est — praesens stabit transactio. Supplico tantummodo humillime, ut Maiestas Vestra Sacratissima dignetur pro sua clementia et pietate benigne ministris suis mandare, ne in reliquis tam meam, quam Cleri mei jurisdictionem pro transactionis continentia molestare velint. Ut autem meus quoque provisor clementem hanc admonitionem a Caesarea Maiestate Vestra mihi factam intelligat; scripsi denuo ad illum, ut bene videat, quid agat, quia iam illi non cum Episcopo, sed cum Vestra Caesarea Maiestate erit negotium. Quam Deus Optimus Maximus diu incolumem et felicem servet. Posonii XIII. Februarii M° D° LX° IIII°.

XXII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1564. febr 16. Opto salutem et felicitatem. Exhibitor praesentium vocatur Stephanus filius cuiusdam Milan civis huius civitatis, frater autem Antonii, qui in castello festo coronationis combustus est. Profectus est autem eo pro quibusdam reculis dicti fratris sui. Optat favore dominationis Vestrae Reverendissimae eas consequi posse, si quae difficultas ei nasceretur, et noluit sine litteris meis discedere. Quoniam autem nostras est, dominatio Vestra Reverendissima, pro sua clementia illi, puto, non deerit.

Quod reliquum est, cum per dominum Michaelem Nardinum abunde scripserim, nunc quod addo, non habeo; nisi nos omnes bene valere, excepta domina Angelica, quae ex quodam apostemate nonnihil aegrotat; et cum summo desiderio expectari Gregorium nostrum, ita rebus nostris difficilibus exigentibus. etc.

Unum hoc ommiseram in litteris prioribus, quod hic adscribere putavi oportere; filius strenui capitanei domini Michaelis Lucich nomine Joannes, duxit uxorem Spaleti; filiam domini Francisci Giurminich, et adducturus est post festum Paschalium. Conveniens est, si dominatio Vestra Reverendissima aliquo honesto munusculo eam dignaretur, quod munus peroptime esset locatum. Quia idem dominus Capitaneus

cum hoc eius filio ita nos amant, dico ex corde, ac si eadem matre nati essemus; mihi praesertim in plurimis meis negotiis maximo usui sunt hic. Quod ut facias, rogo.

Mitto dominationi Vestrae Reverendissimae semina archichiocorum ex nostro horto proviano pro horto suo Posoniensi novo. Qui nunc ubique fructus est acceptissimus, et apud me magna in copia seminatur in terra humida et fimata. Post tertium annum divisa radice in plurimas plantas, totum hortum replere posset; hieme sub terra latet, et apud vos stramine cooperiri debet. Opto dominationem Vestrum Reverendissimam optime valere; qui pueros nostros, et alios salute meo nomine impertietur. Ex Sibenico 16. die Februarii 1564.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül. Reverendissimo Domino domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi, Sacratissimae Caesareae Maiestatis Consiliario, domino suo semper observandissimo.

Redditae Viennae 30. Martii 1564.

Responsum est eis.

XXIII.

Ferdinánd császárnak tanácsosai, kiknek egyike Verancsics Antal.

1564. mart. 1. Sacratissima Caesarea Maiestas, domine clementissime. Orationum et fidelium servitiorum nostrorum in gratiam Vestrae Sacratissimae Maiestatis Caesareae humillimam commendationem. Vestra Sacratissima Maiestas Caesarea benigne recordari potest, quomodo fideles Ordines et Status Regni huius sui Hungariae in aliquot diaetis, et etiam in proxime praeteritis Comitiis Vestrae Sacratissimae Maiestati humillime supplicaverint de negotio redimendorum castrorum ad Austriam impignoratorum. *) Ad quam eorum supplicationem Vestra Sacratissima Maiestas clementer respondere dignata est, se cum dominis Austriacis in eorum diaeta tractaturum. Cum vero intelligamus, eosdem dominos Austriacos iussu Maiestatis Vestrae generalem conventum isthic Viennae nunc habere; hoc negotium voluimus Maiestati Vestrae Caesareae humillime in memoriam revocare, et eidem supplicare, dignetur cum ipsis dominis Austriacis superinde tractare, et pro castris illis ad Hungariam remittendis auctoritatem suam gratiose interponere, atque hanc nostram et totius Hungariae humilem supplicationem, ut iam tandem exaudiatur, bonumque finem sortiatur, benigne curare. Quod nos unacum toto hoc Vestrae

*) Értetnek Kismarton, Fraknó, Kabold, Szarvkő, Rohoncz, Kőszeg és Borostyánkő, melyek az 1491-ki békekötés által Ausztriánál hagyattak, és csak II. Ferdinánd alatt kapcsoltattak vissza Magyarországhoz.

Sacratissimae Maiestatis Regno Hungariae ab Eadem servitiis nostris perpetuis et fidelibus promerebimur. Quod reliquum est, Deus Optimus Maximus Vestram Sacratissimam Maiestatem Caesaream, una cum Serenissimis Principibus liberis suis charissimis, dominis nostris clementissimis, felicissime et diutissime conservare dignetur. In cuius gratiam nos et fidelia servitia nostra iterum humiliter commendamus. Posonii prima Martii anno Domini 1564.

Eiusdem Vestrae Sacratissimae Maiestatis Caesareae
fideles et humiles sevitores et capellani
Strigoniensis mp.
Agriensis mp.
Zagrabiensis mp.
Quinque-Ecclesiensis mp.
Wesprimiensis mp.

Mellékelve :

Memoriale pro Sacratissima Caesarea Maiestate.

Sacratissime Imperator, domine et domine clementissime. Cum fideles Sacrae Maiestatis Vestrae subditi Status et Ordines Regni Hungariae in proxime praeterito eorum Conventu Generali Sacratissimae Maiestati Vestrae humiliter supplicassent, quo clementer admittere dignaretur, ut arces illae, quae ad Austriam tenentur impignoratae, iuxta continentias contractus illius cum Serenissimis condam Friderico et Maximiliano Imperatoribus facti aequalia cum ipsis Hungariae regnicolis ferrent onera, tam in solvenda dica, quam in aliis publicis Regni oneribus; obtulit sese clementer Sacratissima Maiestas Vestra, quod

dummodo in primo Australium conventu ea de re humiliter admoneretur, velit haec postulata fidelium suorum Hungarorum ad provinciales suos Austriacos referre, et inspectis litteris quoque inscriptionis et oppignorationis id facere, quod aequitati et tenori contractus consonum fore iudicabit.

Similiter benigne sese obtulit Sacratissima Maiestas Vestra fidelibus suis Hungaris de revisione metarum inter Hungariam et Austriam, ac etiam permittenda redemptione arcium praedictarum ad Austriam impignoratarum supplicantibus, quod super hac eorum petitione per primam commoditatem cum dictis fidelibus suis Austriacis tractare velit. Ad quam quidem metarum revisionem Commissarii etiam sunt ex parte Hungarorum nominati : Dominus Episcopus Varadiensis Joannes Petew, Magister Matthaeus Protonotarius, et Emericus Hassagy.

Super his praedictis articulis, ut Sacratissima Maiestas Vestra Caesarea in hoc praesenti Australium Conventu clementer memor esse dignetur, supplicatur humillime omnium Regni Hungariae Statuum et Ordinum nomine.

XXIV.

Ferdinánd császár intézkedéséről Verancsics Antalnak kérésére.

(Jegyzökönyvi kivonat.)

1564. máj. 4. Sacra Romanorum Caesarea Maiestas, visa Reverendi domini Verantii, Agriensis Episcopi, suppli-

catione, de impartiendo sibi exemplo instructionis, quae data est Magnifico Caspari Magochy moderno Agriae Capitaneo, Eius Caesareae Maiestati exhibita, clementer decrevit, quod idem dominus Reverendus iustum peteret : eiusque instructionis copiam sibi fieri iussit, in iis scilicet articulis, qui eius personam atque administrationem concernunt. Hos itaque articulos idem dominus Episcopus cum praesentibus accipiet; atque inde optime noverit, quae ei partes a Capitaneo erunt expectandae; quae vicissim ipsi ab illo.

Ad praedam Turcicam quod attinet, quam Egregius Simon Forgach consecutus est, quando Agriam subrogatus est; donec eius loco novus stabiliretur capitaneus : Quandoquidem res ita se habet, quod idem Forgacius eo tempore potestatem in milites habuit, ut custodiret una cum illis arcem Agriensem et eius pertinentias, eademque ipse potestate et armis praedam illam obtinuit; nulla interim ex parte impedita provisorum domini Episcopi functione, seu quibuscumque eius ordinariis redditibus, qui absque dubio attenuabantur, nisi Forgachius in eadem sua potestate sese tam strenue gessisset; Maiestas Caesarea exiguam illam praedam eidem relinquendam decrevit. Quae etiamsi alia de ea ferretur sententia; non tamen integra cederet domino Episcopo : siquidem nova eius transactio multo ante inchoata fuit, quam Forgachio potestatem suam in milites assignaret.

H. Fieringer mp.
Decretum per Maiestatem,
Caesaream et Regiam
4. Maii anno 64.

XXV.

Andronicus Tranquillusnak Verancsics Antal.

Ad Tranquillum Andronicum.

1564. jul. 16. Venisse te ex Dalmatia, laetor; et voluissem tua causa, si nunc istic esse possem, ut consuetudine mutua frueremur. Sed quoniam superioribus diebus Posonium non magno meo cum solatio diutius incoluerim; in Turocium meum secessi nonnihil, idque eo potissimum, ut statum loci huius constituam, et prospiciam rei familiari eius. Quo si excurreris, venies gratissimus hospes. Sin gravabere, propter incommoda, de quibus scripsisti; utere istic nostra domo tuo arbitratu, dum rediero. Quoniam ego etiam ad kalendas Augusti debebo esse Posonii, iussu Caesareae Maiestatis. Vale. Et oppido nostro Varallya sub Znio, arce Turociensi. 16. Junii 1564.

XXVI.

Bornemisza Pál erdélyi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Transsilvaniensem Paulum Bornemissam.

1564. jun. 17. Quod Reverendissima dominatio Vestra serius ad meas litteras responderit die 13. mensis instantis,

causa mihi constitit. Nam quum iussissem currum expediri in eius diei crastinum, ut eandem inviserem gratia officii, forte fortuna hospes quidam intervenit, qui dixit, eam esse Tirnaviae, et agere ibidem in judicio de controversia, quam habet cum Magnifico domino Bathory. Sic et Reverendissimae dominationis Vestrae serius responsum, et officium meum intermissum, satis est, puto, ex his excusatum.

De profectione sua cum Caesareis et Regiis commissionibus ad montanas civitates, et condoleo, et compatior illi, et vellem in robustiores id laborum reiici, immo etiam periculorum, quum iam ea loca latissime pervagentur a praedonibus Turcicis. Sed quoniam viris opus est in magnis et difficilibus rebus, praesertim hoc nostro praesenti saeculo, quo adeo virorum penuria laboremus, Reverendissima dominatio Vestra caute et bono milite comitata ambulet, ne quis insperatus sese casus iniiciat.

De Selye oppido meo recte iudicat. Est enim dignus locus habitatione, habeoque magnas gratias Reverendissimae dominationi Vestrae, quae me consolatione sua praeparat ad haec difficiliora principia tolleranda. Quae haud dubie non exiguam etiam spem mihi faciunt, ita futurum, ut ipsa scribit. Quoniam heri obequitaverim et recognoverim totum circuitum territorii Selye, Pered, et Kyralfalwa, reperique partes agrorum eorum aliquas, quae agricolationi meae desumptae, nihil est colonorum commodis decessurum, accommodaturus mihi praedia aliqua extra terminos quatuor locorum horum.

De suis aedificiis valde laetor; et Caesareo more facit, quae uti scriptum est de Augusto Caesare, quod qui Romam inventam latericiam, marmoream reddi-

derat; ita et Reverendissima dominatio Vestra ex Nitria prope lignea, faciet lapideam. Quod ut feliciter et ex sua sententia absolvat incolumis, et in diuturnum etiam aevum tam praeclaro opere perfruatur, Deum oro altissimum. Quum autem et ego iam Turocium cogito intra paucos dies proficisci, statu loci huius constituto, et Reverendissima dominatio Vestra publico negotio praepeditur; in aliud tempus differamus congressum nostrum, quem volo fieri Nitriae, donec etiam ego domum hanc Selyensem ita adornem et commodem, ut personae Vestrae dominationis Reverendissimae excipiendae et habendae sit digna et idonea. Advocatis vero iis utamur necesse est, quorum est facultas; mihi tamen omnino aliquis quaerendus et comparandus est, quem potero ceteris praestantiorem; quia mihi non deerunt lites propter metarum interceptionem. De novis rebus nec mihi quicquam est. Deus Reverendissimam Dominationem Vestram diu incolumem servet. In Selye 17. Junii 1564.

XXVII.

Oláh Miklós esztergami érseknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Strigoniensem Nicolaum Olahum.

1564. jun. 20. Quod ad me de instauratione Conventus Praepositurae Turociensis Reverendissima dominatio Vestra scripsit, intellexi; eique habeo maximas gratias de

admonitione huiusmodi, qua curat tantopere, ut Ecclesiis Dei consulatur. Equidem nihil nunc ago diligentius, quam ut hoc ipsum ad finem perducam, disposito imprimis plebano, concionatore et magistro scholae in oppido nostro Selye, in quo tamdiu ministri similes defuernnt. Quod ubi primum Domino adiuvante expedivero, Conventus curam aggrediar. In his autem me non esse somnolentum et immemorem, mitto exemplum dominationi Vestrae Reverendissimae earum litterarum, quas proxime cuidam amico dederam, super huiusmodi personis, ut videat fide oculata; curare me non segniter munera Episcopi, esto quod nullo etiam vinculo aut mandato obligarer, quia iam in Selye et ecclesiae, et cemiterii sordes mundantur, ac ruinae reparantur. Certa sit dominatio Vestra Reverendissima, quod Conventus quoque Turociensis claustri restitutio die noctuque me sollicitat. Nec terret ratio sumptuum, modo hominibus ad id idoneis non careremus. Quanto autem studio simus, ut domus Dei omni in loco, cui praesimus, debito honore et decore servetur, iam ex Agriense templo vel a suis propriis hominibus Reverendissima dominatio Vestra cognovit. Spero me pari modo Turociensi etiam non defuturum. Verum difficillime omnino est mihi, eos tot annorum defectus primo anno reparare, qui a me in hac Praepositura non solum hos, sed etiam complures alios exigant sumptus. Dabo tamen operam, ut Reverendissima dominatio Vestra in me semper habeat filium et suffraganeum obsequentem. Quod reliquum est, rogo eandem, ut fautorem et patronum meum singularem et confidentissimum, velit non gravate in omnibus his patrocinari mihi, tam apud Suas Maiestates, et in consiliis Dominorum, quam etiam in aliis, quaecun-

que aliunde contra me emergere continget. Quum enim praeter eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrae nullum alium praeconium mihi constituerim, par etiam est, ut haec mea fiducia sentiat suos fructus evidenter. Deus Reverendissimam dominationem Vestram incolumem et felicem servet. Tyrnaviae 20. Junii 1564.

XXVIII.

Gróf a Salmis Eckiusnak Verancsics Antal.

Ad dominum Comitem a Salmis, dominum Eckium.

1564. jun. 24. Quoniam ad Magnificam dominationem Vestram diebus quoque superioribus satis abunde scripseramus de ratione teloniorum, quae sunt in hoc Regno Hungariae, quibusque etiam iuribus eorum immunitates servantur, et quae vel civitates, vel personae ab eorum solutionibus eximantur publicis Regni ac Principum decretis, attigique etiam de hoc nostro oppidi nostri Sellye, ne nunc quoque aliud scimus Magnificae dominationi Vestrae ad suas litteras rescribere, quam quae dudum eam a nobis intellexisse putemus. Nec existimamus, indigna nos postulare, ut originalia privilegia similium exceptionum, tam de quibus agunt cives Samariani, quam complures alii privatorum oppidorum, producantur, ut intelligere possimus, quibus de causis proventus nostrae huius Ecclesiae telonei translati sint in alios, jusque eius fuerit illi imminutum.

Et quamquam Sacratissimorum Principum nostrorum clementissimorum tam praesentium, quam qui eos praecesserunt, habeamus diplomata omni cum honore et reverentia; quia tamen ea conferre semper sunt soliti salvo iure alieno, quae nimirum tam ab antecessoribus suis, quam ab se ipsis iam antea quibuspiam fuere collata, ne nobis quoque ulla imputanda est contumacia, si jus nostrae Ecclesiae aequitate tueri velimus, donaque Principum chara, et summo loco habere apud nos contendamus. Quare Magnificam dominationem Vestram rogamus, velit ipsa etiam sic ad haec animum suum appellere, ut de his inter nos sancta aequitate modoque amicabili transigatur. Agitur enim de juribus haereditariis, quo ut uterque nostrum rite et constanter sua tueri debeat, ita neutri ab aequitate est recedendum, ne tandem iniuriae locus detur. Quod autem iidem Samariani cives ab aliis Praepositurae huius possessoribus non fuerint impediti, noverunt ipsi, quare hoc fecerunt; verum nos, si aeque non facimus, nullius propterea laedimus libertatem, quum nostram laedi non patiamur, et aequitati nos committamus, iuxta Regni Hungariae leges. Parati alioqui omnibus nostris officiis Magnificae dominationi Vestrae et gratificari et inservire solita et singulari nostra erga eandem observantia; tantummodo ne offendamur his in invicem, quae utrique nostrum defendenda sunt, ut haereditaria mea ecclesia, sua vero suis. In quibus alioqui, si Maiestates Suas Magnifica dominatio Vestra requisiverit, uti scribit in nomine Domini, eo hoc et nobis erit gratius. Quia unde legum promanat sanctitas, praerogativaeque jurium statuuntur; inde etiam aequitati huius nostrae Ecclesiae speranda est iusta judicii administratio.

Cui Magnificam quoque dominationem Vestram optimum fautorem fore non dubitamus, quae Ecclesias Dei semper et habuit, et habet commendatas. Deus Optimus Maximus eandem sospitet et felicitet in omne aevum, nosque amet, et iubeat nobis pro suo arbitratu. Ex Sellye 24. Junii 1564.

XXIX.

Dudics Sbardelatus Endrének Veraucsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Quinqueecclesiensem.

1564. jun. 26. Ego veni ad hoc oppidum meum Sellye, et credidi venisse me in ea omnia, quae mihi sunt a Caesarea Maiestate, domino nostro clementissimo, collata in litteris donationalibus, et in transactione mecum facta; verum longe secus cuncta reperi. Etenim Uriel quidam Magliny, Praeposituraе huius olim Praepositus, sic cum iis unius oppidi magni, et trium villarum colonis transactionem fecit, ut sibi quotannis ducentos tantummodo florenos numeratae pecuniae penderent; reliquis omnibus utilitatibus et dominio ipso potirentur immunes a servitiis. Deus bone, quae insania, quae iactura! quae etiam indignitas! Tot terras, tot redditus, tot etiam utilitates, servitia, juraque Ecclesiae ducentis florenis quotannis vendere, et demum a perpetua eorundem bonorum alienatione quotidie vereri ac metuere!

Propterea quum huic alienationi bonorum Ecclesiae jure etiam legitimo mihi sit occurrendum. cum antecessores in ecclesiasticis bonis successorum infirmare et labefactare iura minime possunt, quicquid quisque in vita de suo fecerit, successores tamen in plena et integra jura succedunt; transactionem istam non laturus, edixi colonis, ut ad veteres consuetudines revertantur, et illis juribus ac modis mihi post Suas Maiestates subsint, quibus fuerunt sub Praepositis priorum temporum; ad quod quia aegre videntur esse reverturi, arbitrorque, quod etiam edocebunt de his Suas Maiestates, cupientes salvam sibi relinqui huiusmodi libertatem ab Uriele habitam, Reverendissimam dominationem Vestram rogo, velit id negotii mei habere apud Suas Maiestates, et ubi fuerit opus, commendatum; esset enim in maximum huius Ecclesiae praejudicium, si sic haec tanta bona alienantur in alienos, et eos quidem plebeos homines, cum et canones Sacri, et jura omnia Regni Hungariae clament, jus Ecclesiae bonorum non posse per antecessores successoribus adimi et infringi.

Et super hoc vellem, ut Reverendissima dominatio Vestra obtineret mihi a Suis Sacratissimis Maiestatibus ad hos colonos mandatum, ut non obstantibus quibuscumque cum praefato Uriele transactionibus, subsint et pareant mihi ac jurisdictioni meae, idque illis omnibus juribus et modis, quibus subiecti et obedientes fuere prisci temporis Praepositis. Ne omnino haec bona alienari contingat, quae etiam Reverendissimae dominationis Vestrae, et plurium aliorum, qui sunt nobis in Ecclesia Dei successuri, esse possint. Quod reliquum est, nova quae hic habere potui, a Reverendissimo et Illustrissimo domino nostro intelliget,

in cuius etiam gratia non gravabitur me conservare. Felix et incolumis diutissime valeat. Ex Sellye 26-ta Junii 1564.

XXX.

Magóchy Gáspárnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum Dominum Casparem Magochy.

1564. jun. 28. Conquestum est nobis Capitulum nostrum, quod Magnifica dominatio Vestra limites quarundam terrarum suarum, tanquam ad nos pertinentes, fecisset noviter occupari; videlicet supra Wadkert, praedii Rewtewrhaza, inter Demyend ac Zalok et Roch, inter Zalok et Bakta, et supra Amagyery, quod est in suburbio oppidi nostri Agriensis. De quibus limitibus quoniam nobis sunt privilegia, et iam ab aliquo tempore in eo sumus, ut revisione ordinaria de hisdem limitibus inter nos et Capitulum nostrum revideatur, et transigatur; non est opus, ut ante tempus et praeter rationem aequitatemque communem de dictis limitibus vi usurpandis constituamus, quum ad haec etiam cum ipso Capitulo nostro conclusimus, ut eisdem limitibus, tam a nostris, quam ab eius subditis, ministrisque quies permittatur, donec nos Agriam veniemus, et dictam revisionem ordinariam exequamur.

Vestram itaque Magnificam dominationem volentes de his facere certiorem, postulamus, ut velit pro nunc supersedere ab huiusmodi novis occupationibus,

et quae iam curavit occupanda, remitti facere. Quia alioqui cum nostra bona cum bonis Capituli eadem sint et eiusdem Ecclesiae, non decet nos, quantum fieri possit, ita inter nos litigare, ut qui sunt inter sese alieni. Quapropter dominatio Vestra Magnifica potius ipsum Capitulum, qui sunt nostri fratres, et bona eius, aeque studere velit defendere, atque nostra; quum aequaliter Magnificae dominationi Vestrae sunt commendata. Nec id eidem pluribus suggerimus, quod sciamus eandem plurimum aequitatis esse studiosam, et natam esse magis ad benefaciendum, quam ad cuivis nocendum. Deus eandem servet diu incolumem. Ex oppido nostro Sellye 28. Junii 1564.

XXXI.

Heves vármegye közönségének Veranesics Antal.

Ad Comitatum Hewessiensem.

Aegerrime intelleximus vituperia, quibus Egre- 1564. jun. 28.
gius Ladislaus Zenthgiergy Venerabilem Magistrum Franciscum Pesthiensem, Canonicum, Archidiaconum et Decanum Ecclesiae nostrae tam indigne, enormiter et contra omnia Divina atque humana iura superioribus diebus afflixerit; hocque eo magis offensi sumus, quod cum adhuc Regni judicia cum justitia sua non sint extincta, idem Ladislaus sua ipsemet manu, sibi per indebitam potentiam judicium administrare et satisfacere voluerit, contra omnes Regni leges; quicquid

idem Archidiaconus noster illi commiserit, si commisit; parum etiam memor, quod in Magistratu existens, non vi et sua manu, sed jure et legibus contra eundem agere debuerit, si quid in illum actionis habuisset.

Quocirca cum Capitulum nostrum idem esse reputamus, quod sumus nos, una in fraternitate et uno in corpore coniuncti, cuius etiam Divina ordinatione, et Maiestatum Suarum munificentia caput simus; sciant dominationes Vestrae Egregiae, non secus nos quoque ab eodem Egregio Ladislao esse offensos, atque ipsum meum Capitulum, et frater noster affectus indignissimis vituperiis, et alapis caesus.

Propterea nos etiam una cum ipso Capitulo nostro, ut supremus Comes Comitatus Hewessiensis, electioni eiusdem Ladislai Zenthgiergi ad officium Vice-Comitatus nostri, quem etiam sine scitu nostro eligere non conveniebat, contradicimus, et reclamamus cum protestatione, nequaquam illum fungi debere officio sibi collato, donec eidem Capitulo nostro, et nobis, et percusso etiam fratri nostro, judicium super hoc fuerit administratum eo in loco, in quo, et per quos judices Sacratissima Caesarea et Regia Maiestates, domini nostri clementissimi, benigne decreverint. Reliquum est, Egregias dominationes Vestras bene valere optamus. Ex oppido nostro Sellye 28. Junii 1564.

XXXII.

Pankotai Ferencz egri vicariusához Verancsics Antal.

Ad Franciscum Pankotanum Vicarium nostrum Agriensem.

Nosti cum aliis fratribus et concanonicis tuis, nos Reverendissimum Hieronymum Domitium Berislavum, sic eius exigentibus meritis et virtutibus, ad Praeposituram capellae Beatae Mariae Virginis ad latus ipsius Ecclesiae nostrae Agriensis fundatae, de Praepositura Sancti Petri in eadem Ecclesia nostra existente, transtulisse, tam jure Ordinarii, quod omnibus Episcopis in Ecclesiae suae beneficiis competit, quam vigore juris patronatus, quod semper in hoc Regno Hungariae a Regia Maiestate in eos transfertur, quamprimum electi, et confirmati fuerint. Quum autem fratres nostri eidem Reverendissimo Hieronymo a nobis praefata Praepositura donato, de quodam jure patronatus suo mentionem fecissent, seque collationi nostrae opposuissent, et te praetenso suo jure ad eandem Praeposituram Beatae Mariae Virginis nobis praesentassent instituendum, voluimus hactenus praefati Hieronymi institutionem differre, ut nostrorum eorundem fratrum privilegia cognosceremus; quemadmodum jura volunt, Fisco, et Ecclesiae praesidi ab omnibus sua demonstrari iura, quorum vigore res ecclesiasticas possideant. Nunc quando rem diligenter et iuste expendimus, aperteque cognovimus, privilegia nobis a Capitulo nostro edita nulla in parte eorum jus

1564. jul. 6.

patronatus praetensum fovere; scientes etiam secundum decretales sanctiones, nullo modo posse privilegio jus patronatus in Ecclesiis constitui, quae patronatae fuerunt, ut universae sunt in hoc eodem Hungariae Regno Ecclesiae, et earum dignitates; eundem Reverendissimum Hieronymum nostrae donationis iam factae litteris munivimus. Mandamus ergo tibi, ut nullo modo te pro Praeposito memoratae Praepositurae Beatae Mariae Virginis geras, neque saepedictum Hieronymum ea in re molestes, silentium tibi superinde perpetuum imponentes, et nihilominus etiam praecipientes, ut tu vel subrogatus tuus eundem Hieronymum in persona nostra instituas et investias, recepto tamen prius ab eo solito iuramento, de non alienandis rebus Ecclesiae, et de aliis, quae in litteris donationalibus nostris continentur, rite obeundis ac perficiendis, et superinde in possessionem quoque induci atque installari facias, quantumcunque fratres nostri reclamaverint. Si autem nec tu, nec subrogatus tuus his litteris nostris obtemperare volueritis, nos ad ea juris remedia deveniemus, quae nobis competere adversus contumaces non ignoramus. Si praeterea iidem fratres nostri gravatos se idcirco fuerint arbitrati, nos, quae sacris canonibus praescribuntur in huiusmodi casibus, praestari illis non recusamus. Intelligent autem, nos nihil temere, aut per iniuriam fecisse; si voluerint vel a nobis, vel a jurisperitis informationem accipere, et poterunt rationes cognoscere; quia quomodocunque putaverint rem successuram, praedictus tamen Hieronymus nullo modo potest aut debet ea sibi iam collata Praepositura carere. Interim te certiorem paterne facientes, quod sicuti semper tibi faverimus, et bene voluerimus, ita tui etiam pro-

movendi atque ornandi curam nos non neglecturos, si te, prout opportunum fuerit, obedientiae nostrae subieceris. Secus ne feceris. Vale etc. Ex Varallya Znio arcis Turociensis 6. Julii 1564.

XXXIII.

Az egri káptalannak Verancsics Antal.

Ad Suum Capitulum.

Reverendi ac venerabiles fratres in Christo nobis dilecti, salutem et omne bonum. Edocti sumus de his a Reverendo Vicario nostro, quae vobis essent in praesentia controversiae cum Magnifico domino Gaspare Magochy, et cum Egregio Ladislao Zenthgierghy; maximeque doluimus de iniuriis utrinque illatis vobis. De quibus quidem non aliter sentimus, quam si in personam nostram accidissent. Propterea quales litteras et ad dominum Magochy et ad Comitatum de eodem domino Ladislao scripserimus, volentes adesse rebus vestris pro officio nostro, ex his earundem litterarum copiis cognoscetis; et litteras etiam ipsas, quas in vestras manus direximus, ita exhibebitis, ut videbitur vobis. De negotio autem Praepositurae hortamur vos, ne ita perturbemini, ut excedatis metas. Alioqui quam conveniens est, ut, sicut vos iura vestra aeque contra nos atque contra alios tuemini, quo nos non offendimur propter communem aequitatem; ita ne vos quoque offendamini, si nos 1564 jul. 10.

etiam nostra tueri non intermittimus. Quaecunque autem in his fieri debeant, si non vultis nobis cedere, quod fortasse esset vobis consultius, ne cum omnibus deinceps futuris Episcopis litigetis; at saltem agatis, quae acturi sitis, citra strepitum et turbulentum motum. Praesertim quum illud ipsum nos agimus, quod in hoc antecessores quoque nostri ferme omnes egerunt, incipiendo ab ipso Ladislao Hederwary, immediato successore Petri de Rozgon, praefatae Praepositurae institutoris. Dolentes fortasse, non admodum rite ademptum sibi fuisse jus patronatus Archidiaconatus Zempliniensis, et in alios collatum. Super quo quia plura intervenient, si res judicio transigetur, non est nunc opus pluribus, vosque in Domino bene valere cupimus. Ex oppido nostro Waralya sub Znio arce Turocense 10. Julii 1564.

Antonius Verancius,
Episcopus Agriensis, Comes
perpetuus Comitatuum
Hewes et Borsod etc.

XXXIV.

Palásthy Márton tisztjének Verancsics Antal.

Ad Martinum Palasthy officialem de Sellye.

1564. jul. 10. Scis, quod decreverimus adhuc istic existentes, idque una tecum, ut Benedictum Pograny servitorem nostrum, praesentium exhibitorem, teneamus apud Magnificum dominum Capitaneum Dersffy Nitriae no-

mine continui, ea pecunia, quae ex contributione bonorum nostrorum Sellye, Pered, Kyralfalwa et Hozzufalwa ad hoc facta. Ideo committimus tibi, ut statim visis praesentibus cognoscas portas omnes, quae censum pendent Suae Maiestati, et ex eis collecta contributione memorata, connumeres eam per tres florenos ad singulos equites, desque illam ipsi Benedicto Pograny ratione trium equitum, in quibus serviet, atque expedias eum ad Magnificum dominum Capitaneum, nosque edoceas per litteras, quod ipsum expediveris, quantam quoque pecuniam, et ad quot menses illi dederis, ut nos etiam eius rei memoriam habeamus. Nec secus in hoc et tu, et coloni nostri faciatis, curesque, ut iidem coloni habeant ex te litteras quietationis, ne postea molestentur.

Praeterea quum nos sumus sine equo sessorio, da omnem operam, et quidem diligentissimam, ut nobis in proximis nundinis, undecunque poteris, emas duos equos sessorios pulchros, non valde magnos, nec valde parvos, sed mediocres, non gradarios, sed lepew, pulchri pili, et colli non stricti, latique et pectoris et podicis. Super autem omnia sint sani et iuvenes, edocti ad omnia, quae desiderantur in equis. Et quia iam imminet dies quoque Julii 25., cures ut statim vina habeamus in taberna. Mittas etiam ad Barathy aliquem propter nostra vina montis Sakorew, ne usum rei intermittere iudicemur. Et de hoc edocearis a colonis nostris, quomodo rem tractabis, quia non erit omnino sine utilitate. Vale. Ex oppido nostro Warallya sub Znio arce Turocense 10. Julii 1561.

XXXV.

Plopius Dénes modrusi püspök és egri nagyprépostnak Verancsics Antal.

Ad dominum Modrusiensem.

1564. jul. 14. Habeo a Reverendissima dominatione Vestra litteras primum binas de 2. et de 5. Junii datas, ad quas hactenus non respondi, quod medicus Cassoviensis affirmantissime ad me scripserat, eandem huc venire cum Vicario meo. Atque interim profectus Posonio in hanc Praeposituram meam, dum rem familiarem partim in oppido Sellye, partim etiam hic in Turocz recognosco et constituo, coactus sum idem responsum magis differre, quo, factus ab itineratione et cura huiusmodi liberior et quietior, non tumultuanti, sed sedato animo responderim ad easdem litteras suas, quibus videbam illam adeo esse perturbatam, ut solida et fraterna responsione putarem mihi esse consolandam et confirmandam in opinione et fiducia de mea erga eam benevolentia. Quumque totus essem in hac cogitatione, et hunc hominem meum Agriam expedirem, tertias eiusdem accepi 19. Junii datas, et sic demum, quasi novo calcare ictus ad respondendum, celerius hunc ipsum hominem expedivi.

Igitur ad postremas eius initio, et necessario responsurus, ut ei molestiam, quam ex Myslensi rumore concepit, eximam, sciat et credat quam verissime, Sacram Maiestatem Caesaream dominum Nostrum clementissimum adhuc vivere, et fungi tum Regiis,

tum Caesareis suis officiis, quantum tamen aegroto, et decumbenti liceat. Mittoque Reverendissimae dominationi Vestrae litteras Eius Maiestatis ad me 28. Junii datas, et acceptas heri. Quarum subscriptio haud dubiam omnibus de vita eius fidem facile facit. Quod autem non prodit in publicum, et se lecto contineat, medicorum fit consilio ex imbecillitate, ad quam redacta est propter diuturniorem aegritudinem. Quare nihil est minus verum, quam quod de his quidam istic divulgent et circumferant.

De negotio quartarum suarum, placet plurimum secus esse, quam quidam id rei moverunt, et omnino sic mihi de hoc persuadeo, uti ipsa scribit. Palam tamen est quam late, quamque passim ubique locorum susurronum, detractorum et delatorum virus serpat.

De Vicario multis opus non est. Nunquam enim credidissem in ea humilitate et modestia locum habuisse tam ingentem ambitionem, tamque mordentes furias. Sed spero visurum brevi, quis sit Antonius Verancius, et an ipse, an ego sim Episcopus Agriensis. Debrei etiam me non fallit. Miror tamen, quod bonus senex, tantae prudentiae et iudicii, nondum perspectam habeat bonitatem et facilitatem meam plusquam paternam, et prope angelicam (absit iactantia), inter quorundam mores, qui severiori et trutina et regimine essent compescendi. Sed tumultuetur et ipse quantum velit, et seditiones moveat inter simplices. Erit tamen mihi curae, ut ab eo etiam melius cognosci possim.

Ad Romanam Maiestatem Regiam de homine illo, non consulo, ut quicunque scribat, mea maxime causa. Saepe enim fit, ut dum quospiam apud Principes deferimus, satis et per se et per suos consiliarios sapientes, ipsi nosmet ipsos apud eosdem suspectos

variis de rebus reddamus. Multa enim interdum iidem Principes ommittunt curare et dirigere, immo etiam vendicare, seu ulcisci alienis suggestionibus, ne suis commodis aliquid detrahant, quodque non facile cuncta credant. Atque id, sicuti ego novi mea aliquando, ita etiam dominationem Vestram Reverendissimam sua experientia cognovisse non dubito, ne interim, quot in locis historiarum legerimus exempla commemorem. Tantum autem ille idem cognitus est apud Eandem Maiestatem, ut novas informationes addendas illi esse non existimem; quamquam ipsa Reverendissima dominatio Vestra poterit, quod volet, facere.

De domino Bebeck hic etiam indentidem hidem ipsi recurrunt rumores, qui etiam istic, quod sit liberatus ex captivitate Turcica. Nondum tamen certos habemus authores. De communione utriusque speciei nihil intellixeram. Heri tamen scripsit quidam ad me Posonio in haec verba : Viennae VII. kalendas Julii, authore Urbano Episcopo Viennensi, nomine Papae, Imperatoris, et Regis, in templo Divi Stephani de administratione corporis et sanguinis Christi sub utraque specie omnibus petentibus proclamatum esse, cives et nobiles applausu dictitant.

Sunt etiam alii, qui id affirmant. Ego tamen nondum quicquam aliud habeo de hoc, quod certo audeam affirmare.

Brevius ad priores respondebo, postquam iam habet de Vicarii tragoedia, et tametsi ipsa nimis omnino prolixa oratione egit de suis detractoribus et de sui erga me animi sinceritate; ego tamen ut parum, aut prorsus nihil iisdem detractoribus crediderim, ita ad singula respondere, quibus tam anxie prosequuta est similes malevolorum hominum calumnias, non

arbitror esse opus. Ceterum ut etiam ex breviore responso sincerius habeat de mea et firma et vetere erga se benevolentia testimonium, sciat, nec Adamum, nec Zabonem, nec Domitium, nec Jacobum reos fuisse huiusmodi delationis; Zilwa autem etiam amplo encomio eandem mihi laudavit, quod nimirum acerrime res, et dignitatem, et iura mea ubique non solum publice, sed etiam privatim tutaretur, et promoveret. Et licet nemo est mihi de his nominandus, qui in disquirendis et diiudicandis alienis negotiis, actionibus, sermonibus, unam duntaxat habeant in vita curam; ii tamen potissimum disperserunt talia, qui fuerint maiores Adamo, Zabone, Domitio, Jacobo et Zilwa; quum interim hic etiam non desunt aurium mearum verberones, qui deblaterant Italorum consilia statum meum labefactasse. Videat igitur, quibuscum conversandum est, si ii maxime traducant nos, quibus maxime credimus, et maxime nobis coniungimus. Super quo quid responderim, dicere modo nihil attinet. Salvato tamen Reverendissimae dominationis Vestrae erga me et in meis rebus fidelissimo officio et constanti studio, aliis rationibus ora eorum obstruxi, non tamen usque ad silentium; quum necesse sit etiam fatorum necessitate, ut qui maligne vitam agunt, nunquam etiam desinant vexare bonos, ut ipsi quoque moleste vivant. Iis tamen Dominus Deus male faciat et in hac et in alia vita, Vestra vero Reverendissima dominatio de me et de animo erga se meo omnia illa polliceatur sibi, non solum quae ex me audit, sed etiam ea, quae ipsamet desiderat. Nec de litteris, quas ei proxime scripseram paulo duriores, aliud existimet et iudicet, quam quod fuerint conciliatrices maioris et certioris nostrae mutuae necessitudinis, ex rationibus, quibus uterque no-

strum conatus est probare, quanta sinceritate et veritate mutuo complectamur. Et quia etiam (quod ultro fateor) plane videam, quam habeat dignitatem et honorem meum istic commendatum, eam illi spem facio de mea gratitudine, quae suo tempore etiam existimationi eius afferet aliquid in Ecclesia mea, quo et dominatio Vestra Reverendissima, et multi alii intelligent, vinci me officiis et amicitiae studiis non facile pati.

De particulari statu Ecclesiae meae et de Lectoris casu, quod scribit; habet et Ecclesia, et Lector noster, quod a me desideret. Sed et Lectori expectanda est sua opportunitas, et ad Ecclesiam meam prius ipse redire nequeo, quam et per valetudinem Caesareae Maiestatis mihi liceat, et cognitio decretorum Regni transigatur, cui totum Consilium et omnium Ordinum peculiares personae debebunt interesse, uti ex his litteris Maiestatis Suae Caesareae ad me datis perspiciet. Alioqui nihil magis ego cupio, quam ut ipsam meam Ecclesiam revisam. Sed videt retinacula mihi etiam maxime molesta.

Quod se Reverendissima dominatio Vestra tam fortiter et merito opposuerit licentiae et insolentiae istorum militum, qui Thihemirium iterum repetabant, non possum nisi maxime laudare; rogoque, ut aeque etiam in aliis intemperiis eorum conetur sese opponere, si quas denuo moliri vellent. Et necesse est, ut imperitorum temeritas peritorum authoritate et iudicio reprimatur. Maxime ubi vulgus assumit cornua, et usurpat sibi, quod ad se non pertinet.

De Canonicis scirem, quod ait. Sed si hoc tempore Augustinos, Ambrosios, Cyprianos, Platonesque et Aristoteles habere non possimus, hos habendos

esse existimo, quos possumus. Unde ad Michaelem Sisianum, si etiam Fabianum habere poterimus, probarem, neque committam moram in mittendis litteris. Sed videat, ne ludamus in eo operam sicuti antea. Propterea Reverendissima dominatio Vestra perficiat cum eo, ut ordines accipiat, et fidem faciat, quod residebit, et nostrae Ecclesiae serviet. De nepote domini Illicini satis adhuc est temporis. Lucam et succentorem dudum tradidi Reverendissimae dominationis Vestrae pectini, sed vereor quod annosas pectet arbores. Alteri enim nihil unquam potest esse satis; alteri si impune concedetur, quoties vult, ut ex manica bibat, etiam id multum erit, quod habet. Igitur dominatio Vestra Reverendissima utrumque expoliat dolabris, quibus volet, licebit; dummodo excolat vel saltem ad id, quod etiam mediocriter in eis velimus.

De rebus Romanis nec mihi, nec Pasqualino admodum multa sunt. Et saltem hoc nuper intellexi a domino Illicino, scriptum ei fuisse ex Italia, Consistorium Sanctitatem Suam proxime habuisse de iis, qui per omnia Regna essent et haberentur viri idonei et digni apice Cardinalitio, quodque inter alios Reverendus dominus Dolphinus, et dominus Zagrabiensis fuissent nominati. Quicquid tamen cognovero, imposterum scribam.

Quod vero istic iam non multum de meo Agriam reditu creditur, praecipue ob vina vendita, et quod minus prudenter eadem vina venui sint exposita, quae secretius divendi poterant; mirarer de his, si et Agrienses spiritus ignorarem, et illa vina non mea, sed aliorum fuissent. Verum cum et reditus meus situs est in mea potestate, et quae istic habeam non furto acquisita habeam; curet eiusmodi populus, ut velit. A quo

quia ego non pendeo, non est cur quicquam occulte agere velim. Unde nec dominatio Vestra Reverendissima moveatur eiusmodi, quae et mores novit vulgi, et scit, quod sicut etiam de Sanctissimis Principibus varie multi consueverunt sentire et loqui, nec propterea corripiuntur febribus, aut minus quiete somnos capiunt, ita et nos, qui proxime Principibus haeremus, novum non est, si vanitate vulgi traducamur interdum et perstringamur. Ubi vero Zilwa offenditur commissione data Blasio de vendendis vinis meis, a se non a me offenditur. Nec enim illi Blasium praetuli, si quid commissionis eidem iniunxi peculiariter; nisi si sic domini pendere debeant a suis necessariis, ut quod cuique privatim etiam in aurem dixerint, cuncta cum uno communicare teneantur, nec quicquam sine suo nutu agant. In quem modum ego adhuc nemini eorundem necessariorum meorum manus dedi. Quoniam autem et ipse Zilwa habet istic quod agat meo nomine, et Blasio agendum fuit, quod iniunctum fuit; nimirum ut Agriae Zilwa sedeat, non parvae rei meae cuiusdam causa; hic vero cursitet, quod Blasius multo potest facilius, quam Zilwa; nollem omnino in huiusmodi livorem Zilwam impingere, et conari suis me accomodare opinionibus; quem etiam apud me tanti inter alios meos facio, quantum abunde sat illi esse potest.

Quod autem de Syrcz, et de aliis rebus meis egit cum domino Capitaneo, intellexi, et ei habeo gratias. Nec esset opus sic de his agi, si sit vera amicitia; sed quoniam secus nequit fieri, aggrediemur viam, de qua consuluit. Ceterum, etsi iam desieram de Vicario, tamen quia postremo in suis litteris attigit de quodam molendino, cuius causa movere calumniam mihi inten-

dit; ego etiam claudam hanc epistolam molendini huius negotio. De quo, et de quibusdem aliis, si idem Vicarius vult scire plura, provisores meos examinet. Verum si ego etiam rem magis serio aggrediar, efficiam Domino adiuvante, ut melius deinceps et se et nos cognoscet, neque contra illum sitiat rabiem, quem revereri debet. Nec plura, modo Deus Reverendissimam dominationem Vestram incolumen et felicem servet. Ex oppido nostro Warallya sub Znio arce Turocensi die 14. Julii 1564.

XXXVI.

Triumszlécsi jobbágyainak Verancsics Antal.

Ad colonos trium Zlecze.

Quae nobis scripsistis de quibusdam roboribus ad strues Reverendissimi domini Strigoniensis pertinentibus, intelleximus. Et licet nos crederemus vobis, ita sese hoc habere, ut vos scribitis; sed quia Egregius dominus Nicolaus Benyzky aliter loquitur, et plane omnia contraria, sic ut omnem in vos videatur culpam conferre velle; ambigui sumus, utrinam parti credere debeamus. Propterea ne fiat undecunque aliqua iniuria Reverendissimo domino Strigoniensi; committimus vobis harum serie strictissime, ut his litteris nostris acceptis, statim mittatis huc ad nos duos aut tres, aut quot placuerit ex vobis, cum vera et plena super hoc informatione, ut coram eodem 1564. jul. 25.

domino Nicolao hanc vestram causam loquantur, cognitaque sic huius rei veritate, sciamus tandem inire rationem, quidnam de his statuere debebimus. Ex Warallya 25. Julii 1564.

XXXVII.

Usalynak Veranesics Antal.

Ad dominum Usaly

1564. sept. 23. Egregie Domine, amice nobis honorande. salutem, et officiorum nostrorum commendationem. Quos hinc dominatio Vestra Egregia pedites armatos, et operarios cum curribus ac instrumentis servilibus postulavit per litteras, quas ad colonos nostros dedit: heri adhuc, ubi primum easdem litteras legimus, continuo strictissime iussimus, ut sine mora, et pedites et operarios expediant. Ac tametsi incommodissimo tempore illis id servitii imponitur, propter seminationem, cuius iam in dies opportunitas elabitur: nequaquam tamen voluimus, ut hoc ipsum servitium praetereant, quo celerius munitionibus arcis istius, proxima ventorum tempestate labefactatis, succurratur. Nec detractant miseri homines, serviles operas eidem isti arci impertiri, quoties usus postulabit (quod eius incolumitate omnes, qui has Regni partes incolimus, stamus); dummodo in ea non cogerentur militare; quod officium (aiunt) fuisse antea Vayvodarum naszadistarum, quibus hic propterea et sedes datae erant,

et agri cum stipendiis pecuniariis. Nunc non existentibus in hoc ipso loco pluribus huiusmodi Vayvodis quam tribus, iisque nulla solutione consueta provisis; maxime iidem coloni conqueruntur, quod in eos id oneris citra omnem (uti dicunt) aequitatem reciderit; nimirum in homines plebeios, militiae inexpertos, et solam agricolationem ac pecuniam profitentes. Sed utcunque transactum est de miseris, ferant quoad poterunt. Ad nos tamen quod attinet, volumus, ut sicut nos Reverendissimae Dominationi Suae inservimus summo studio, ita et nostri omnes non gravate serviant. Si tamen fieri poterit, ut immunes sint a militia, non a servitute, rogamus velit apud Reverendissimum dominum nostrum communem curare, ut aliquid huiusmodi levamenti consequantur. Alioqui et de nobis, et de nostris, quicquid fieri voluerit, semper illud fiet, quod volet et mandabit. Quoniam autem iam cum colonis nostris transegimus, ut ad intermissa officia Praepositi sui revertantur, et cedant libertati, quam urgebant, indebite et datam et usurpatam; Egregia dominatio Vestra quum imposterum requiret abhinc servitia, aut aliquid aliud, scribet ad officialem nostrum, qui Reverendissimo domino nostro aeque parebit, atque nos, quoniam sic ei est mandatum. Deus eandem incolumem conservet, et utatur nostra amicitia. Ex Sellye 27. Septembris 1564.

XXXVIII.

Domitius Jeromosnak Verancsics Antal.

Ad Hieronymum Domitium.

1564. sept. 29. Hic homo tuus appulit ad me die 26. huius mensis, per quem quaecunque scripsisti, intellexi. Et optime fecisti, quod me mature edocueris de violenta et indebita occupatione domus ac rerum magistri Orossy iam defuncti; subito enim expedivi ad Caesaream Maiestatem, et gessi curam, ut huiusmodi eius actibus potentiariis authoritate Caesarea occurratur. Indeque quicquid responsi habuero, citra moram et tibi, et Vicario meo significari curabo; interim eodem domino Magochy commonito, ut hoc me et fratres meos amicitiae genere non prosequatur, velitque tam domum, quam res omnes interceptas in integrum restituere, et eas domini Vicarii ac caeterorum meorum tradere potestati; quum id officii in instructione sua non habet sibi praescriptum, quin potius mandatum est ei, ut ab hac jurisdictione rerum ecclesiasticarum omnino abstineat, et in ea tam me, quam fratres meos tueatur atque defendat.

De captivis quod urget, laudo tuam sollicitudinem; et iam quid fieri velim, binis te litteris eiusdem exempli edocui, quarum alteras Egregio Francisco Paztohy, alteras Martino sartori meo dederam. Nec dubito dudum te utrasque recepisse. Sed quod ad ea videtur restans, esque mihi affatim instruendus, ne

quid poenitudinis incurramus, si prius, quod agendum est nobis, certo consilio cauti et firmis rationibus non transigemus, procul habita omni praecipitatione, eaque potissimum imprudentiae, et quae lenitati nostrae postea obiici posset, facta iactura. Igitur, si quod est periculum in mora (uti scribis); ad eam voluntatem meam, quam ex proximis litteris meis cognovisti, hoc unicum addo; ut si duo ista oppida, Jawzbrin et Zeghed, nolunt statim eam summam mihi numerare pro captivis memoratis, aliis istis in locis eorum nomine sponsoribus acceptis, quo ipsi a fortunae casu pependissent, non nos, sed in eo sunt, ut haec pecunia depositio eorum sponsione et fideiussione mihi differatur, poterit et hoc fieri; sed hoc modo et hac ratione, ut eadem oppida mittant huc ed me Waralliam Turoczium quatuor aut sex viros ex potioribus, cum pleno mandato fideiubendi et spondendi mihi pro memorata summa coram authenticis personis, et in publico ad constitutum tempus deponenda. Idque cum cautione huiusmodi, quod si forte illi non deponerent, liceret mihi in posterum omnes eos eorum cives, cum rebus et bonis suis arestare et arestari facere, ubicunque meis hominibus opportune occurrissent; ibique tamdiu in potestate mea detinere, donec integre contentum reddere curassent. Animadverte tamen, ut priorem modum initio urgeas, hoc interim presso silentio; ubi vero ille succedere nequivisset, ad hunc devenias, edoctisque dictis civibus de tota eius serie, accipias ab eisdem consensum, et moneas, ut huc ad me veniant cum pleno mandato, uti iam dixi superius. Nec aliud istic de hoc facias, quoniam hic rem omnem vellem concludi; quod res est nobis non de parvo, neque de summa pecunia comtemnenda. Hoc tamen interim

vincti sint captivi, nec ulla ratione emittantur ad conclusionem negotii.

De miseriis tuis frustra quereris, postquam tibi Deus non parca manu dedit, quo miseriam facile reiicere possis, si agnoscis, quod habes. Ceterum scire debes, nullum vitae genus carere suis molestiis; illa tamen levius ferri debent, quae veniunt cum opibus, et cum facultate illas contemnendi et superandi. Unde ne illud quoque moleste feras, quod stans cum Petro extra atrium, calefaciebas te ad prunas, postquam habeas beneficio Dei, quo te ipsum commode in tuo calefacere possis. De Reverendissimo domino Modrussiense placet; et si venturus est, uti scribis vocatus, vellem, curares mecum constitui ante quam promoveat Viennam. Vale, et sine intermissione, de captivorum negotio quae agitabitis, me edoceas. Vale. Ex Sellye 29. Septembris 1564.

XXXIX.

Znio váralja lakosainak Verancsics Antal.

Ad oppidanos Varallienses.

1564. sept 29 Abunde intelleximus querimonias vestras contra Mathiam de Chaktornya, capellanum et substitutum officialem nostrum istic pro tempore. Qui quicquid in vos commiserit, indebite, male, et contra nostram voluntatem fecit; quum nullo pacto volumus, vos ab hominibus nostris indebite et inhumaniter tractari. Et

quum Deo volente brevi nos etiam istuc veniemus, conquiescite interim. Quia nos id controversiae vestrae cognoscemus, et aequitatem neutri parti denegabimus. Quandoquidem, ut subditos nostros in officio permanere volumus; ita etiam nolumus, ut officiales nostri suum excedant. Verum significandum vobis per praesentes nostras duximus, hos Sellyenses oppidanos nostros desiisse urgere eam libertatem, quam ab Uriele, olim Praeposito, acceperant, et subdidisse se nostris iuribus, coepisseque etiam veteribus officiis simul ac servitiis nos agnoscere, iuxta et aequitatem publicam Regni, et Sacratissimae Maiestatis, domini nostri clementissimi, mandatum, super hoc ipsum nunc recens impetratum. Quod vobis etiam loquitur. Quare hortamur vos paterne, uti iam dudum facimus, velitis etiam vos deliberare tandem, et id ipsum facere aggredi; ne cum maiori vestro incommodo, et cum nostra displicentia, coacti postea faciatis. Quia quod nostrum est, nemo vobis potuit dare, nisi quamdiu is idem praefuit vobis, a quo id iuris habuistis; meo tamen salvo, qui sum eius successor. Hoc sciatis, et bene valeatis. Ex Sellye 29. Septembris 1564.

XL.

Piopius Dénes modrusi püspöknek Verancsics Antal.

Ad dominum Modrussiensem pro exemplo.

Ad binas litteras Reverendissimae dominationis Vestrae, quas 17. et 28. Septembris dedit, respondeo. 1564. oct. 10.

Porro ubi gessit curam, quo de rebus Benedicti Orossi Archidiaconi et Canonici mei nunc defuncti, pacifice cum domino Magochy transigeretur, bene quidem fecit. Sed quonam pacto idem debeat sese gerere mecum, cum Capitulo meo, et circa iura mea ecclesiastica, dudum ei in instructione sua a Caesarea Maiestate praescriptum et mandatum est; unde si nobiscum sinceriter, amice et pro aequitate, citra vim, atque iniurias, velit agere, auscultet Principibus, et ex eadem instructione sua discat, neque trahat identidem in controversiam, de quo dudum est satis clare modus, ordo et ratio instituta.

In eadem igitur instructione eius, ac in transactione mea, non est, ut ei liceat haereditates ecclesiasticorum hominum arestare et intercipere fisco nomine Principum; inhibitus etiam ibidem est ab usurpatione quartarum altarium et parochiarum, quae sunt mei juris patronatus, nec sequuntur proventus episcopales, de quibus solis transactum est; similiter de vineis, quae coluntur meo nomine, in eadem ipsa instructione eius expressum est appertissimis verbis, nimirum ut si aliquam ego obtinerem, quae ad Episcopatum peculiariter pertineret, ea ego carerem, et ipsius Episcopatus proventibus relinqueretur. Sed quum hactenus Episcopatus Agriensis nullam huiusmodi peculiarem vineam habuerit, aequum est, ut has, quae coluntur, mihi dominus Magochy non attingat. Mandatum quoque illi est proxime, ut, si pagus Syrez non est de corpore bonorum episcopalium, abstineat ab eo sese dominus Magochy, et illum mihi cedat; cuius ratio quomodo habeatur, Reverendissima dominatio Vestra optime novit; quam, ut illi edisserat, operae pretium erit.

Jubetur quoque in eadem ipsa instructione sua satis rigide, ut omnino se non ingerat in officia Episcopi; sed curet duntaxat militaria, et quae spectant ad custodiam arcis; unde manifeste constat, non eius esse muneris, neque studii, constituendorum parochorum et praedicatorum per Episcopatum meum, nisi si loca et hospitia velimus in eo dare haereticis, quibus ipse iam et arcem istam afflictissimam fecerit perviam et familiarem. Idque etiam contra eiusdem instructionis suae et transactionis meae vigorem, sic ut non possit dicere, falsis me querimoniis de huiusmodi excessibus eius sollicitasse Caesaream Maiestatem. Quae quidem non solum Agriae, sed toti Regno manifesta sunt, perscribunturque ad me, non ab iis de quibus ipse suspicatur, sed certe ab iis, quos habet proximos, et a quibus nihil metuat, quique etiam publice audent obloqui mihi, et iniuriis me afficere, ut statui et rebus suis consulant. De quo, ut ego non doleo, ita et Reverendissima dominatio Vestra id sciat sola, parcatque bonis viris a periculo; quia tales, tametsi sint Nicodemi, conservandi tamen sunt, etiamsi nos in occulto ament, dum ament, et studeant nostris rebus vel solis animis

At Magnificus dominus Magochy estne immunis ab his, de quibus ego conqueror, Reverendissima dominatio Vestra ex his intelligat, quae sunt illi quotidie in oculis, mihi vero in auribus; nec propterea falsa esse dici debent, quia non sunt visa, quodque auditus saepenumero falli soleat. Verum cum ultra aedes meas, et quartas, et vina, et dolia vacua, et triticum, et foenum, et pecora, et quicquid demum istic in victualibus habui, sibi usurpaverit; homo amicus, de quo tanta mihi, meaeque Ecclesiae, et fratribus

meis pollicebar, praeteritis quorumdam virorum magna necessitudine mihi coniunctorum personis, quos competitores habebat istius officii, omnibus illum praetuli, etiam tot de illo apud utrumque Caesarem dictis laudibus, quot adhuc de nullo homine feci tanta diligentia, nec tanto studio, aliis officiis meis in eum collatis, in aliud tempus ad commemorandum dilatis; quaeso, frater mi, quid excusationum possit in medium afferre, ut sit satis excusatus, suamque erga me, quum amicitiam tum etiam gratitudinem merito commendare et comprobare valeat?

Sed ne omnia intentata relinquamus, Reverendissima dominatio Vestra petat, ut ei eandem instructionem suam producat, totumque contextum eius conferat cum querimoniis meis; postea videat et iudicet, an falso fuerim conquestus; tandem rebus bene omnibus cognitis et excussis, ac etiam ob oculos ei propositis, experiatur, si induci poterit, ut aequi rem habeamus; si minus, sciat, me cum illo non pugnaturum, acturum tamen cum Caesarea Maiestate, a qna omnes pendemus cum transactionibus et instructionibus nostris, praesertim qui illi obedientes simus.

Nihilominus dominus Magochy non debet indignari, quod questus de illo fuerim; qua quidem querimonia ipse potius excusatur, gravanturque domini Commissarii, quorum mandato coactus fuerit eiusmodi in me committere. Et meminerit, quoties dixerit hominibus meis, et scripserit etiam mihi, se non usurpasse mea, imo ne transactionem quoque meam servare omisisse motu suo proprio, et sua causa, sed commissione eorundem dominorum Commissariorum; verum si illi vel unicum mandatum a suis Maiestatibus dari curavissem, subito eo mandato lecto de omnibus

ita mihi responsurus esset, ut in posterum tam de restitutione ablatorum, quam de observatione transactionis nullam conquerendi causam essem habiturus. Ideo si revera amicus est nobis, verbo suo stet, parte sua contentetur, et sit nobiscum in bona amicitia, concordia, charitate. Quia si scivissim haec mihi, imo nobis de eo eventura, profecto alius Agriae praesideret. Sed iacta est alea; fieri tamen consuevit, ut qui hospites aegrius, molestiori animo, vultuque minus lepido excipiunt interdum, eosdem postea melius habent. Utinam sic et de domino Magochy videamus. Quod si citra strepitum poterit confieri, gratum erit; si vero nequiverit, certum est, non defuturum me mihi. Verum ubi de inventario rerum Orossij meminit, quod accepi a Jacobo; credat, me non esse sollicitum de bonis Orossij, ut qui haereditates fratrum decedentium ex hac vita nunquam captaverim; sed de incolumitate jurisdictionis et juris patronatus mei, immunitatumque Ecclesiae meae. Ideo Reverendissima dominatio Vestra curet adhuc tentandum, si commode poterit de his transigere, et ab eodem domino Magochy responsum serium obtinere. Neque sileat, rogo; quia plerumque tacentes et suffugientes succumbunt, fiantque praeda hostibus. Unde si dominus Magochy nullo pacto voluerit redire nobiscum ad officium suum, qui tantopere nostro honoratur; significet maturè, ut ego etiam magis serio incipiam succurrere nostris rebus, et statui nostrae Ecclesiae.

Perinde, ut ad illud quoque domino Magochy aliquid respondeam iocose, ut iocose ab eo est propositum; in quo de concionatore suo agit, et dicit, ut potius velim tres Comitatus ultra Tibiscum amissos recuperandos curare, quam dolere, domum illi in op-

pido meo Agriensi datam esse me invito. Haec admonitio bona est, et concernit omnes Regni Ordines, qui patriam salvam velint. Sciat tamen dominus Magochy, quod plura in Regno Hungariae hoc nostro et suo aevo laici homines, quam ecclesiastici amiserunt. Ceterum eosdem Comitatus illi recuperent, qui perdiderunt. Nec in me id reiiciat molis per scomma. Verum si ego, qui sum sacerdos, expeditioni illi praefuissem, nequaquam sane tam cum parvo milite tanta tentavissem, fuissemque obviam tam numeroso militi; neque Zathmariense municipium, quo tota ditio Maiestatis Caesareae ultra Tibiscum stabat, rusticis tenendum commisissem, educto ex eo militari praesidio. Sed sic Deus castigat homines, qui suis serviunt cupiditatibus, nec parcunt miseris populis eius.

De tribus autem Comitatibus non attigit eorum numerum; quia si mature illic amissa non recuperabuntur, et patiemur rem et dominium Joannis filii ad Tibiscum usque promoveri, supra XIII amittemus. Utinam postea non ea etiam trahantur in periculum, quae sunt nobis cis Tibiscum; de quibus ego quam saepe et scripsi, et loquutus sum, imo etiam prope declamavi, summa fide studens rebus Sacrorum nostrorum Principum. Sed si ea non sunt in consideratione habita, utique muneri et fidelitati meae satisfeci. Nec de his plura modo, ea tantummodo referet domino Magochy, eumque dominum nomine meo salutabit.

Quod vero attinet ad reliqua; de meo reditu et de congressu nostro habuit iam ex proximis litteris meis. Audio quoque, quod ad 25. diem mensis huius funus Caesareae Maiestatis Viennae in Sancto Stephano celebrabitur; deinde corpus Pragam transfere-

tur. Cum quo aiunt Caesaream quoque Maiestatem Maximiliani, domini nostri clementissimi, abituram. Prius tamen audientur Oratores Veneti, qui in dies centum nobilium patricii ordinis equitatu comitati expectantur; eorumque alter condolebit Suae Maiestati de paterno obitu, alter vero gratulabitur de promotione eiusdem ad Imperium. De Turcis taceo; quoniam de illis, et quae nos hic, et plura istic etiam vos auditis. Ea tamen, quae nos habemus, plena sunt metus et moeroris. Faxit dominus Deus, ut eos conciliari possimus ad pacem. Quod autem habeo ex Italia, cognoscit ex inclusa scheda. Res sane horribilis, quae dicetur totum orbem terruisse, ut ostentum mirificum, et irae Dei argumentum manifestum; quo utinam ubique, maxime vero istic redeant multi ad poenitentiam; idque non exemplo suo, sed alieno, quicunque sapere et cauti esse voluerint. Reverendissima autem dominatio Vestra quod convaluerit, admodum laetor, hortorque et eandem, ut curare velit, quo etiam confirmetur, et non moriatur prius, quam aetatis reliquae aliquot lustra nobiscum felicius in vita exigat, ac diu incolumis vivat. Ex Turocz X. Octobris M. D. LXIIII.

XLI.

Maximilián királynak négy királyi tanácsos, kik közt Verancsics Antal.

Opinio quatuor Consiliariorum Hungariae,

1565. kezdetén.

Sacra Maiestas Caesarea et Domine, domine clementissime. Articulos conditionum pacis cum Duce Transsilvano initae, quos Sacra Maiestas Vestra nobis quatuor fidelibus suis Consiliariis seorsim pro declaranda in illis opinione nostra revidendos dedit, revidimus; de quibus haec, quae sequuntur, nobis humillime videntur.

Secundus articulus, qui continet; quod Transsilvanus et sui successores Transilvaniam a Maiestate Vestra Sacra et futuris Hungariae Regibus recognoscent, tanquam obedientes et subiecti Coronae Principes, fidelitatis etiam et subiectionis iuramentum praestando, nobis per omnia tanquam bene et pro rei exigentia conclusus probatur. Illud quoque, quod in omnibus Regni necessitatibus pro eiusdem defensione Sacrae Maiestati Vestrae assistet, utque viceversa Maiestas quoque Vestra et eiusdem successores ipsi Transsilvano et provinciae illi, tanquam Regni membro defensione atque protectione assint, summe necessarium esse videtur. Ille enim si a Turca invaderetur, ad resistendum ei propriis viribus non est sufficiens; si vero, quod Deus avertat, contingeret illum cum Transsilvania periclitari et perire, idem periculum Hungariae quoque Regnum maneret;

quandoquidem pereunte Transsilvania Hungaria quoque in periculoso admodum statu esset futura.

Sextus quoque articulus nobis per omnia probatur.

Septimus etiam placet tanquam valde necessarius. Sed quum istae pacis conclusiones debeant esse secretae, ne perveniant ad notitiam Turcae; non videmus, qua ratione possint in occulto esse, si cum Statibus et Ordinibus Transsilvaniae ratificationis et approbationis causa erunt communicandi. Admonendus itaque hac in parte Dux erit, ut cum de suo agatur periculo, caute valde agat, et fortasse novit ille modum, quo hoc totum negotium secrete perficiat. Hoc unum tamen isto in articulo mutandum, si fieri posset, videretur; quod, ubi positum est, quod Transsilvani recognoscant Sacram Maiestatem Vestram et eius successores Hungariae Reges pro superiore domino et capite in Hungaria, loco superioris domini et capitis poneretur, quod pro Rege Maiestatem Vestram Sacram et eius successores recognoscent. Tutius enim hoc videtur, ne quis cum tempore circa vocabula illa cavillari queat.

Octavus totus videtur.

Nonus quoque de collatione bonorum et judiciis, postquam semel est concessus et mutari non posse videtur, placet. Nisi quod addendum videretur, ne bona ecclesiastica, quae in Transsilvania ipsa diversa et non parva sunt, ac ad aliqua millia colonorum sese extendunt, Dux ipse aliquibus perpetuo iure donet. Bonum etiam videretur, si fieri posset, ut quemadmodum ab antiquo semper appellationes in judiciis ex Transsilvania factae sunt ad Superiorem Sedem Judiciariam Sacrae Maiestatis Vestrae, id nunc

et deinceps quoque fieret. Multum enim momenti hoc afferet ad id, ut Transsilvani a Maiestate Vestra Sacra tanquam Rege Hungariae pendere sese agnoscant. Si tamen fieri non posset, curandum omnino nostra opinione videretur, ut id saltem in Comitatu Bihoriensi, qui extra Transsilvaniam est, observaretur, atque ut bonorum quoque collatio in hoc Comitatu vacantium soli Sacrae Maiestati Vestrae et eius successoribus Regibus Hungariae reservaretur.

Postremo, ubi Stephanus Bathori in propositione Maiestati Vestrae Sacrae oblata petit, ut tractatus istius pacificationis ab Ordinibus quoque Sacrae Maiestatis Vestrae confirmentur; iustum quidem hoc videretur, quum id idem futurum sit ex parte Statuum Transsilvaniae; sed cum id secreto fieri nequeat, summopere verendum est nostro iudicio, ne tota isthaec res palam fiat Imperatori Turcarum, eoque facto nihil de generali cum illo pace sequatur, et Transsilvanus quoque ipse grande subeat periculum. Declarandum itaque hoc oratori ipsius videretur et respondendum, quod cum et alioquin in articulis ipsius pacificationis de hac confirmatione Ordinum Regni nulla sit facta mentio, Maiestati Vestrae Sacrae videri, hanc confirmationem esse differendam in aliud magis idoneum tempus, quo postea Maiestas Vestra Sacra curatura sit, ut ille hac quoque in parte securus esse possit. Vel si adhuc instare pergeret, Maiestas Vestra Sacra ab ipso modum quaerat, quomodo et apud Transsilvanos et Hungariae Status, casu quo confirmatio ista iam nunc fieri debeat, articuli conclusae huius pacis manere possint secreti. Ubi vero nomine domini sui id quoque petit, ut Maiestas Vestra Sacra sese fidei vinculo astringat, de ferendo

necessitatis tempore auxilio, quo ingruentes hostes depellere, et sua tempestive tueri queat, id quoque iustum nobis videtur, tanquam et alioquin in ipsis articulis conditionum pacis comprehensum. Quod vero in fine addit, dominum suum fore contentum sola Transsilvania, modis et conditionibus iam antea per Maiestatem Vestram Sacram oratori Regis Poloniae datis, de his conditionibus, quales sint, nihil nobis constat.

Hoc quoque minime praetereundum duximus, ut restitutioni arcium Mwnkach et Hwzth certus dies, et is quo brevior fieri posset, praefigeretur; quicquid enim caret termino, vadit in infinitum.

Et haec sunt, domine clementissime, quae nobis quatuor in praemissis humillime videntur, quae omnia quidem pro Sacrae Maiestatis Vestrae mandato curabimus, ut teneantur per nos secreta, nec a nobis quoquam emanent.

Eiusdem Sacrae Maiestatis Vestrae

fideles et humiles
Capellani et servitores
Strigoniensis mp.
Agriensis mp.
Transsilvanus mp.
Franciscus Batthianj mp.

XLII.

Maximilián királynak magyar tanácsosai, kik közt Verancsics Antal.

Opinio Consiliariorum Hungarorum hic nunc praesentium.

1565. mart. 25. Sacra Maiestas Caesarea et Domine, domine clementissime. Postquam exempla litterarum, quae nunc postremo Edouardus tulit, perlegimus; animadvertimus, summam negotiorum in hoc fere verti, quod Imperator Turcarum ita demum ratam habere et servare velit pacem cum quondam Sacra Maiestate Caesarea piae memoriae, domino nostro clementissimo, initam, si Maiestas Vestra Sacra exercitum suum reducat, et receptis, uno tantum Rivulo Dominarum excepto, iis quae filius quondam Regis Joannis hoc proxime elapso authumno iniuste occuparat, reliqua omnia, quae sub hac Sacrae Maiestatis Vestrae expeditione in manus eiusdem devenere, restituat.

Difficilis itaque huius rei videtur consultatio in utramque partem. Nam ut occupata restituantur, consulere non possumus propterea; quod iuste videantur occupata, et Maiestas Vestra Sacra religiose prohibeatur, ut aliquid ditionis ipsa sponte in manus infidelium tradat. Idem enim esse arbitramur, dum filio Regis Joannis aliquid conceditur, ac si Thurcis, qui omnia illius sua esse profitentur, concederetur. Si vero non restituuntur, pro pace in promptu videtur esse bellum, uti ex litteris Principis ipsius Thurcarum ad Michaelem Chernowyth datis manifeste apparet. Quia tamen Imperator ipse Thurcharum responsum a Sacra Maiestate Vestra expectat, responderi

ei posse in hanc sententiam videretur. Quod scilicet Magnitudo illius certa sit, Maiestatem Vestram Sacram a toto eo tempore, quo statim defuncta olim Maiestate Caesarea, domino genitore suo colendissimo, de pace cum ipso tractare coepit, omni conatu atque diligentia curasse, ut ex sua et subditorum suorum parte pax ipsa synceriter citraque violentiam servaretur, prouti etiam servata fuerit; ita ut neminem suorum iuste in contrarium conqueri posse arbitretur. In hoc proposito atque voluntate Maiestatem Vestram Sacram adhuc constanter persistere; si ex parte ipsius et suorum pax similiter servetur. Quia tamen Maiestas Vestra Sacra intelligat ex iis, quae Nuncii Maiestatis Vestrae ex itinere, quo iam in reditu erant, revocati scripseruut, Magnitudinem Suam arbitrari, pacem ipsam expeditione proxima contra Transsilvanum facta esse laesam; sciat eius expeditionis magnam et iustam sibi causam a Transsilvano esse datam. Non eo tamen animo copias Maiestatis Vestrae expeditas fuisse, ut pax ista rumperetur; sed ut manifesta vis atque iniuriae, quas Transsilvanus contra pacis foedera et inducias, sibi a Maiestate Vestra Sacra seorsim etiam concessas, intulit, propellerentur. Nam dum Sacra Maiestas Vestra servandae firmiter paci studuit; dum munera honoraria ad ipsum dimittit, et in obitu Serenissimi, colendissimique parentis sui, luctu et moerore plena, nihil minus cogitat, quam ut bellum et turbas aliquas concitaret; ille non valens quiescere, tumultuarium militem subito congregavit, primoque omnium oppidum Zathmar ex insperato invaserit atque occuparit; inde adductis secum ex Transsilvania pluribus gentibus, vocatoque in auxilium suum Passa Themessiensi, cum sex milli-

bus, ut fertur, Thurcarum ulterius sit progressus, non paucas arces, castella et fortalicia invaserit ac expugnarit, eorumque nonnulla praesidio firmarit, nonnula vero funditus everterit, sequente illum ubique Passa Themessiensi cum Magnitudinis Suae militibus Thurcis, qui nonnula etiam fortalicia cum militibus Transsilvanis mixtim et indifferenter oppugnarint. Quod utique fieri non decuisset pro foederis pacto, quo pax ex parte Magnitudinis quoque Suae, et Praefectorum militumque suorum firmiter observari, neque Transsilvanus ipse in temerariis illis ausis suis iuvari debuisset.

Quare fieri aliud non potuisse, quam ut Maiestas Vestra violentis et iniustis illius coeptis pari ratione contraveniret, pace tamen cum Sua Magnitudine inita permanente firma et illaesa. Neque in hoc responsum Suae Magnitudinis expectari potuisse, quum ille suas violentias ita ulterius prosequi videretur, ut nisi ea interea, donec a Sua Magnitudine responsum venit, Maiestas Vestra Sacra restitisset, actum fuisset de tota illa Maiestatis Vestrae Sacrae ditione; Transsilvaniam autem ipsam nulla ex parte esse ab exercitu Sacrae Maiestatis Vestrae inpeditam, utputa quam Maiestas Vestra Sacra non ignoret a quondam felicis memoriae parente suo ipsi Transsilvano in gratiam Magnitudinis Suae esse concessam. Recuperata tantum esse ea, quae filius Regis Joannis inique ademerat, et nonnula, quae cum antea quoque semper Maiestatis Vestrae Sacrae fuerint, perfidia tamen et improbitate nonnullorum suorum non ita pridem a se abalienata erant. Quae cum ita peracta essent, et interea supervenissent litterae Nunciorum quoque, qui munus honorarium detulerant, cum significatione eo-

rum, quae Magnitudo illius Maiestati Vestrae Sacrae nunciari iussit, Maiestatem Vestram, ut se pacis initae observantem hac quoque in re declararet, exercitum suum ab ulteriori progressu continuisse, mandasseque illi, ut ab armis abstineant, et quieti degant; sicuti etiam hoc Maiestatis Vestrae Sacrae mandato accepto quiescant. Cupere itaque, et paratam esse Maiestatem Vestram Sacram, pacem cum quondam domino genitore suo initam servare, postulareque vicissim, ut Magnitudo quoque Sua illam servet, eamque servandam suis committat, neque credat eam hactenus quoque a Maiestate Vestra Sacra ulla in re violatam esse, quando eorum, quae contra filium Regis Joannis acta sunt, iustam causam et aequas rationes iam intellexit.

Ceterum quoniam ex litteris Oratoris Alberti de Wyss animadvertimus, quod Imperator Thurcarum allegat, sibi per occupationem eorum, quae extra Transsilvaniam sunt, aliquid ex tributo decedere, quod filius Regis Joannis illi pendit; Dominus vero Agriensis asserit eo temporn, quo ipse legatione in Thurcia fungeretur, cum Principe Thurcarum ita conclusum fuisse, ut relicta filio Regis Joannis sola Transsilvania, pro omnibus illis, quae extra Transsilvaniam sunt, ac cis et ultra Danubium adiacent quae scilicet in potestate Maiestatis Vestrae Sacrae essent (sicut etiam tunc temporis quondam Maiestas Caesarea omnibus illis potiebatur) triginta millia ducatorum singulis annis numerarentur; allegantibus hoc forte deinceps Thurcis, transactionem istam per Oratorem Sacrae Maiestatis Vestrae e contra allegari posse putaremus. Per litteras autem illas, quas Sacra Maiestas Vestra ad Principem Thurcarum modo praemisso, si id Maiestati Vestrae Sacrae videbitur,

datura est, si nihil aliud efficietur, tempus tamen aliquod interea, donec illae perferantur, et responsum veniat, extrahetur, et interea sciet sese Maiestas Vestra Sacra rebus suis pro tempore et occasione accomodare.

Porro pro ea, quae post adventum Edouardi, domini Andreas de Bathor et Lazarus de Schwendy ad Sacram Maiestatem Vestram, de tractatibus et articulis inter ipsos et Oratores filii quondam Regis Joannis conclusis scripseruut, non aliud in praesentiarum videtur magis necessarium, quam ut Oratores ipsius Transsilvani, qui iuxta factam conclusionem huc ad Maiestatem Vestram pro confirmatione articulorum, et tractandis aliis rebus ad illos spectantibus expediri debent, quamprimum, et nulla interposita mora venirent. Verendum enim est, ne, si tardent, sub ea mora aliquid evenire possit, quod conclusam istam pacem interturbet. Nam pax et concordia ista Thurcis, postquam ad scitum illorum pervenerit, nequaquam erit grata, et certo scire non possumus, an Transsilvanus quoque in iis, quae iam inter ipsum et Maiestatem Vestram Sacram conclusa videntur, synceriter et bona fide agat, vel ad extrahendum solummodo tempus simulet.

Propterea, cum credamus Maiestatem Vestram Sacram ipsis dominis Bathory et Schwendy iam mandasse, ut, quod illos forte alioquin etiam non monitos fecisse credimus, Transsilvanum sollicite urgeant, quo, si Oratores suos nondum huc versus expedivisset, eos quamprimum expediret; scribendum ad illos adhuc ea de re videretur et committendum, ut postquam illi iam in itinere erunt, id Maiestati Vestrae Sacrae subito perscriberent, ut hoc cognito

possit Maiestas Vestra Sacra reliquos quoque suos Consiliarios ad illorum adventum mature convocare. Nam cum res sit ardua, utpote cuius finalis conclusio non solum Consilium Sacrae Maiestatis Vestrae, sed totum Regnum concernere videatur, necessario reliquos quoque Consiliarios adesse debere iudicavimus.

De Serenissima sorore Sacrae Maiestatis Vestrae, quam idem Transsilvanus in matrimonium petit; si verum est, quod fama fertur, illam scilicet alteri esse promissam, non deerit forte Maiestati Vestrae Sacrae modus, ut si ille uxorem ducere, et ea in re auxilio et promotione Maiestatis Vestrae Sacrae uti velit, alteram illi sponsam Sacra Maiestas Vestra vel ex affinibus suis, vel aliunde ordinare possit.

Postquam autem Oratores illius advenerint, tunc Maiestati Vestrae Sacrae occurrent multa ardua, quae ad huiusce pacis tractatum pertinebunt, et maturo valde, magnoque cum iudicio tractanda et consultanda erunt. De quibus postea nos Maiestatem Vestram Sacram, cum reliquis Eiusdem fidelibus Consiliariis admonere non omittemus.

In his omnibus nihil tractandum esse videretur. Nam nisi conclusis prius cum Transsilvano certo et firmo fine rebus, Imperatori Thurcarum certum ex fundamento responsum Sacra Maiestas Vestra dare non posse videtur.

Eiusdem Sacrae Maiestatis Vestrae

humiles atque fideles
Capellani et servitores
Strigoniensis mp.
Agriensis mp.
Transsilvaniensis mp
Desewffy mp.

XLIII.

Verancsics Antalnak Hermolao Jeromos.

15. 5. nov. 28. Reverendissimo et Illustrissimo Monsignor. Ms. Pietro di Vostra Signoria fratello, ha desiderio, come mi parlo, d'havere una mia figliola per moglie, et attendeva da me risoluta risposta; pure di suo consenso havemo differito il tutto, fino che Vostra Signoria Illustrissima fosse avisata; perche senza 'l volere et gratia di quella, et del Magnifico ms. Michiele non si farà cosa alcuna. Et è ben conveniente, che havendo lui l'uno et l' altro in vece di padre, et Vostra Signoria Illustrissima per suo unico signore, et appresso honorando Io il suo gran nome et le singolarissime sue qualitadi, il tutto sia riposto al beneplacito suo. Ella dunque sara contenta à comandare quello, che far si deve intorno à questo negotio; et mi conservi nel numero degli altri suoi amorevoli servitori.

Sibenico à 28. Novembrio 1565.

Di Vostra Signoria Reverendissima et Illustrissima
servitore
Hieronimo Hermolao dottore.

Kívül : Al Reverendissimo et Illustrissimo Antonio Verancio, Vescovo Agriense, Perpetuo Conte Hevesiense et Borsodiense, Consigliero della Sacra Cesarea Maestà, mio signore osservandissimo.

XLIV.

Osius biborneknak Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum et Illustrissimum Cardinalem Varmiensem Hosium.

Is Egregius dominus Stanislaus Ghebultowzki 1566. jan. 10.
nobilis Polonus peregrinatis Italiae, Germaniae, Galliae ac Hispaniae omnibus fere Carthusianicis monasteriis studio religionis eius ineundae, nec in ullo eorum sanctissimi huius voti sui factus compos, in patriam revertitur, magnis et sumptibus exhaustus, et laboribus fatigatus.

Cupiens autem id conatus sui apud suos iri comprobatum, ad ea testimonia, quae est ex sese habiturus, his etiam uti voluit, quae potuit obtinere ab amicis, in quibus quum etiam me ex insinuatione Reverendi domini Francisci Crassinii Canonici Cracoviensis et hic apud Caesaream Maiestatem, dominum nostrum clementissimum oratoris, fuissst assequutus, accidit, ut non solum huiusmodi animum eius cognovissem, atque essem tum voluntatis tum conatus testis; sed etiam, utut in partem huius ipsius curae, qua flagrare prope videbatur, concessissem, eumque omnibus modis iuvissem, quos putavi fore opportunos ad collocandum in monasterio Morbacensi, quod eiusdem religionis habetur in ditione civitatis huius.

Verum ut antea Illustrissimus dominus Cardinalis Delphinus diutissime in hoc negotio frustra laboravit, ita ego quoque mihil omnino effeci; idemque

dominus Stanislaus, ut non fuit a memorati monasterii Priore admissus; ita et cum iniuriis ab eodem indignissimis reiectus est. Nec attingam rei tam illaudatae causas (quum a religione pii ac devoti homines, etiam ad senectutem iam vergentes, non essent arcendi), de quibus idem plura referet dominus Stanislaus; quippe quod res mihi quidem aliae constiterunt, quam quas ab eodem intellexi.

Quia tamen in hoc ipso monasterio pecunias quoque certo numero, et diplomata quaedam (ut ait), ob subitam et praecipitem sui exturbationem reliquerit, eique sint ab eodem Priore simul eum pecuniis denegata, videtur maiore iniuriarum affectus esse cumulo, posteaquam eidem damnum etiam inferre non dubitaverit.

Quare facta fide Reverendissimae ac Illustrissimae dominationi Vestrae de eiusdem domini Stanislai sollicitudine, qua fuit sane maxima ad exsolvendum votum et propositum animi sui in hoc memorato monasterio, testibus et me et Reverendissimo Cardinale Delphino, iisdemque praecipuis etiam adiutoribus, eandem Reverendissimam dominationem Vestram summopere rogo, dignetur pro authoritate et bonitate sua virum hunc, sic mea etiam veterani servitoris sui commendatione habere apud se commendatum, ut ei et intercepta per hunc Priorem restituantur, et a suis credatur, quod per eum non defuerit, omnem movisse lapidem, ut voto suo satisfacere potuisset.

Ceterum his etiam rationibus dirigatur inposterum, ut institutum voti cursum repetendo, cura et studio non frustretur. Quandoquidem si eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrae authoritatis solidiore praesidio instruetur, dubium non est, quod et

felicius perget in proposito, et facilius in optatum portum perveniet.

Ad me vero quod attinet, etsi nullis litteris meis soleam vel interdum saltem Reverendissimae dominationi Vestrae declarare, quantopere charam habeam Eius erga me benevolentiam, quam quod mea quoque erga Eundem officia nondum omnino senuisse persuasum esse Illi cupiam. Est tamen, quo hoc ipsum omissum a me negligentiae dilui, (uti puto) non inepte possit. Nimirum quod quicquid mihi tanta tot Regnorum Provinciarumque intercapedo, qua distinguimur, praesentis adimit Eius consuetudinis, id frequens, et ea certe reponit viva memoria, quam Reverendissimae dominationis Vestrae, quum privatis quibusdam causis, ut eorum solemus ex humanitate communi, quos aliquando novimus, medullitenus retineam; tum eo sane maxime, quod hic apud nos virtutes eius ita omnium animis inhaeserunt, fixereque veluti radices quasdam clasissimae suae famae ac nominis, ut non aliter absentem, quam praesentem memoria nostrum multorum colit, observat, praedicat. Atque inter hos quum ego quoque unum me non postremum esse profitear, Reverendissimam dominationem Vestram rogo, velit et cessationem meam huius officii habere excusatam, et persuadere sibi, me non secus Reverendissimam dominationem Vestram amare, et Eius assidue summa cum celebritate recordari, quam et Episcopi omnibus numeris veteribus comparandi, et Cardinalis hac tempestate nostra rasissimi.

Sed hic his fine posito; restat, ut si in his regionibus nostris cuipiam eiusdem usui sufficiens et necessarius esse possim, velit id mei erga se studii, propensionisque secure exercere, utendo scilicet opera ac

famulatu meo, qui, ut iam dudum Reverendissimae dominationis Vestrae addictissimus et devotissimus sim, ita certe gratius nihil in me conferret, quam si me asuescet imperiis suis, seque devinci officiis meis patietur. Deus Optimus Maximus Eandem diutissime servet incolumen, et hoc iam auspicato anno novo felicem faciat. Viennae 10. Januarii 1566.

XLV.

Staroyrzepsky culmi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Staroyrzepský Episcopum Helmensem.

1566. mart. 12. Daturus rationem Reverendissimae dominationi Vestrae de nepote suo Felice Covalovio, quem mihi Reverendus dominus Franciscus Crassinius, nuper hic Orator existens, commendavit; ea quidem commendatio non de meliore eius nota facta est mihi; quam quod idem Cavalovius esset sane de bene nobile prosapia oriundus (quod ex virtutibus et amplitudine Reverendissimae dominationis Vestrae, quae est illi patruus, intelligimus); natura tamen admodum agresti, non parum contumaci, et plane rigida, ingenioque magis castrensi, quam politico praeditus est. Ita a cultu quoque alienus, et in omnibus rebus sui est negligens, ut munditiem, ac sorditiem iuxta habeat, tamque est ad famulandum et ad serviendum paratus omnibus, a quibuscunque eius opera expetitur, ut mirari satis non sufficiam, quorsum tandem evasurus

sit, ubi ex ephebis exierit, et incipiet fieri paulo maturior; arbitrorque quod eo, quo consueverunt boni viri; quum adhuc nihil prorsus eorum vitiorum in eo deprehendi, propter quae et ipsi pueri verberari et eorum familiae erubescere soleant. His tantum vilitatibus nonnihil nimio plus videtur esse obnoxius, de quibus dixi iam superius.

Verum habeo spem non infirmam, futurum adhuc pertinaciore disciplina, quem velimus. Quando nec Mercurius ex materia quavis una die absolvitur; quod de homine quoque est cogitandum, modo institutore, custodeque non careat, idque donec in lubrico adolescentiae et iuventutis versetur.

Qualem itaque nepotem Reverendissimae dominationis Vestrae habeam, ex his cognoscit. Nolo tamen Eandem de optato eius eventu desperare. Quia nunc etiam, si illum Reverendus Crassinius videret et alloqueretur, haud dubie longe alium animandverteret, quam erat tunc, quum eum mihi commendavit. Quid iam inposterum de illo polliccar, non est obscurum; postquam sic adhuc tenellus coeperit disciplinam retinere. Si quid aliud ex officio meo Reverendissima dominatio Vestra desideraverit, iubeat mihi jure suo; meque animo et favore suo complecti non gravetur. Valeat incolumis et felix. Posonni 12. Martii 1566.

XLVI.

Konyeczky Jánosnak Verancsics Anlal.

Ad Magnificum Dominum Joannem Konyeczky.

1566, mart. 12 Posteaquam ad eas Magnificae dominationis Vestrae litteras respondi, quas Eadem ad me 20. Junii superioris anni dedit, nec ego ad eam scripsi alias litteras, nec ipsa ad me. Quum autem solus Jachimovius nepos Eius videtur conciliasse nos in mutuam et notitiam et amicitiam, nolui diutius hoc silentio premi, ut saltem vel de Eiusdem nepotis sui statu ac rationibus Eandem edocerem, si aliud mihi non occurreret scribendi argumentum; pluribus interim et publicis et privatis negotiis intentus, ne nunc quicquam de sollicitudine rumorum commemorem, qui nobis quotidie iam de novis Turcarum apparatibus obstrepere, et belli curas iniicere inceperunt,

Igitur quod attinet ad Jachimovium, prospera valentudine fruitur, adolescitque quotidie in optimum non solum Hungarum, sed etiam in optimae spei virum. Nec video, quid apud me didicerit vel de bonis moribus, vel etiam de reliquis eiusmodis, quae reddunt hominem frugi; quum qualem excepi, eundem in hodiernum usque diem semper agnosco, et experior; nempe summa et rara praeditum modestia, studioque inserviendi quum hero suo, tum etiam decori atque honori proprio, maxime memorem, esse se nobilem et eum quidem Polonum, quorum semper fuit peculiare

et genuinum, eo semper niti, quo nobilitatem humanitate praeclarisque gestis illustrare possint.

Haec itaque Magnifica dominatio Vestra habeat de suo Jachimovio. De mea vero cura, quam in illum confero, eumque ad maturitatem et virtutem excolo, nihil ipse dicam, nisi quod ei nihil indulgeo, tam saepe autem obiurgo, et pro rite ac recte etiam factis eundem, tanquam egisset perperam, reum facio, ne ardore iuvenili insolesceret, et in licentiam frena sibi laxaret, ut aliquando perturbatior a me recedat. Ac propterea, quomodocunque id institutionis meae Magnifica dominatio Vestra et alii sui accipient, in ipsorum est arbitrio. Ego tamen sedulo in hoc incoepto pergam, speroque, quod etiam meliore fide, quum in patriam revocabitur, reddam depositum, quam qui Balthasarem fratrem suum exceperat. Quicquid postremo officiorum meorum fuerit, id Magnificae dominationi Vestrae praesto semper erit. Quam Deus Optimus Maximus sospitet et felicitet. Posonii 12. Martii 1566.

XLVII.

Testvére Péternek Verancsics Antal.

Ad Petrum fratrem.

Ex tuis litteris, quas ad me XIX. Novembris superioris anni dederas, quinque potissimum intellexi: quod in maximas difficultates ob inopiam devenisses; quod communis nostra cognata esset tibi iniquior; 1566. mart. 12.

quodque uxorem velles ducere, et ea tibi ex filiabus eximii doctoris Hieronymi Hermolai Arbensis promitteretur; petebasque postremo, ut id coniugii liceret tibi per me contrahi. Summis insuper et conditionem laudibus extuleras, et adieceras, quod hoc ipsum coniugium omnia abunde comitarentur, quaecunque requiri soleant in huiusmodi contractibus.

Igitur ut paucis tibi ad omnia respondeam, ne adhuc etiam pietas mea tibi deesse videatur, addamque novos quoque stimulos ad persistendum in disciplina, ad quam te diu iam necquicquam non solum educo atque imbuo, sed etiam studiosissime excolo; memineris, quod instanter hortabar te, ne intempestivo illo tempore concederes in patriam, atque hoc maxime, quod praevideram ex ingenio tuo, te haud dubie cum cognata nostra concitaturum iurgia, quod tibi minime licebat absente marito eius; quodque in varias rerum tuarum angustias esses deventurus, propter quum sumptuum tenuitatem, quos tibi recedenti de industria perexiguos dederam, quo te sic etiam ab ea voluntate avocarem, tum etiam, quod omnino re familiari nulla pollebas. Esto quod iam dudum ex me cognoveras, quanam ratione totum tuum statum promovere et commodare instituerem, ubi primum hoc tempore Michaelem fratrem nostrum expedivissem in patriam. Quae omnia, quum meum erga te et pium et paternum animum declarent, poterasque etiam ex aliis non obscuris argumentis de meo erga te animo et munificentia esse certissimus, quum te et honeste et liberaliter habebam; cur mihi non parueris? cur non meis, sed tuis non consulueris commodis, honori, existimationi? At quia sequutus, me invito, insaniam, immo et inscitiam tuam, potius iuvenili levitati tuae,

quam monitis atque hortamentis meis gerere morem volueris, quicquid malorum ac aerumnarum domi incurreris, tibi ipsi adscribas; et feras, quod quaesieras. Omnia enim praedixi tibi. Quare, si non caveris, aut mature saltem animadverteris, ratem tuam cursum tenere in scopulos, eoque illum converteris, unde solveras; tua culpa est, quod in obvium incideris naufragium.

De cognatae autem nostrae iniuriis falso quoque lamentaris; et potius tu es criminandus, immo etiam damnandus omnibus calculis, qui nec mei, nec mariti eius, qui aberat, ratione habita, impudentissime et magna cum utriusque nostrum, ac totius cognationis et domus nostrae offensione, per judiciorum fora circumduxeris illam, et adigere conatus es, ut ea tibi de haereditate bonorum partem tuam demonstraret, et facultatem eius faceret. Qui quam amentis et vesani hominis conatus fuerit absente Michaele, sine quo id nundinarum peragi minime poterat; credo, quod iam tute etiam bene cognovisti, sed nonnisi tandem reprehensus de errore ineptissime perpetrato. Ac tibi ut clarius etiam eloquar, quod huc facit, expeditque, ut intelligas. Nonne dixeram tibi, ut eiusmodi camerinam ante tempus non moveres, et caveres diligentissime, ne quid manifestae simultatis cum Michaele inires, quodque ita me eundem esses habiturus successivo dehinc tempore, quem hactenus habuit ipse Michael. Et praeterea, quod ego essem et lites vestras dirempturus, et compositurus omnia (in utrumque vestrum liberalitate mea derivata, atque etiam beneficio Dei effusa), quaecunque dirimenda et componenda inter vos incidissent. Itaque quum hoc etiam incommodum, ut praemonitus, evitare facile poteras,

quis tui miserabitur, ubi coeperis frustra recuperare velle, quod prudens volensque amiseris? Quapropter cesses imposterum molestus esse domui Michaelis, teque sic omnibus diebus erga illam geras, ut te non alienum, sed suum agnoscat, meque magis ac magis contra te non commoveas, neque eo intemperiis tuis impellas, ubi in me poteris patrem et benefactorem amittere.

De cura vero tui connubii, quod alioqui valde intempestive urges, non offendor. Nec enim video te ad aliud esse comparatum, quam ad genus propagandum. Sic tamen illud te propagare vellem, ut prius ingenium, mores et vitam tuam in meliorem frugem dirigeres, quo tales nepotes ex te susciperemus, cum quibus, ut tecum, non laboraremus. Verum quae mihi de tanti viri filia recensueris, admodum placuerunt, et assentior tuae in ea re, quam desideras voluntati, laetatusque affinitate domus eius, et nostrae gratulatus non mediocriter, ubi nimirum in eam talis generis nurum videro successisse; omnino tamen volo interim, ut a sponsalitiis tamdiu supersedeas, donec omni ex parte rem familiarem tuam, de qua multa a me iam dudum audisti, sic instituero et expedivero, ut quum ad te sponsa ipsa deducetur, neuter vestrum erubescat, et modum habeas, ut potius tu uxorem tuam nutrias, quam ipsa te. Sed haec conditio, de qua me tam ampliter imbuisti, quam sit nobis futura constans, nondum plane intelligo. Quando litterae quoque aliorum nuncient mihi, alio te induxisse animum; meque et hae et tuae ita distinent, ut omnino ignorem quid credam, et interim de soliditate genii tui dubius, maxime etiam metuam, ne, ubi et mihi, et doctori Hermolao, viro a me magni habito, verba dederis,

illud tandem tuo solius arbitratu arripias, quod nec nobis arridebit, nec succedet tibi; et tu falleris imprimis, ubi me tuis istis ineptiis, quas ego flagitii nomine appellabo, perturbaveris, atque etiam offenderis. Vide igitur, quid agas, et in his ita procedas, ut quicquid debebit fieri, a iudicio et deliberatione mea opperiare. Nec vel in hanc, vel in illam partem, quantumvis honestam, decoram atque optimam, accedas, nisi me consulto, et consensu meo expectato, quem tantopere et postulasti a me, et pollicitus es, nihil te ante ingressurum, quam ipsum meum consensum impetraveris. Secus si feceris, scias te eam facturum rerum tuarum iacturam, quam, quoad vives, deplorabis. Vale, et consiliis utere non poenitendis. Posonii XII. Martii 1566.

XLVIII.

Doctor Ermolao Jeromosnak Veranesics Antal.

À ms. Girolamo Ermolao dottore.

Che la Eccelenza Vostra à contemplatione mia, 1566. mart. 12.
e de Michele mio fratello, senza molti riguardi delle circonstanze, che si sogliono considerare nelli contrattamenti di maridazzi, ha dato grata risposta à Pietro mio fratello sopra il dessiderio, che ha de hauere una sua figliuola per moglie, lasciando perhò il tutto al beneplacito mio, laudo summamente il giudicio et il consiglio suo. Perche le cose simili, che non si fanno piu che una uolta, debbansi anchora fare con matu-

rita, è con assentimento dellj maggiorj, per non cadere poi in alcun tempo ne quel diffetto, ch' è non pensauo.

La ringratio parimente con tutte quelle affettionj, che sono debbite à tanto rara e cusi fatta cortesia, laquale hauete usato uerso uno giouene, non da douero, quanto per fina adesso, proueduto di faculta à poter dar commodo ricapito ad una figliuola de simil patre. E sappian Io chiaramente, tutto questo esser stato fatto per rispetto mio, e de Michele mio fratello, quantunque la bona et honoreuole conditione ui è gratissima; non di meno piu colmamente mj godo, e quasi piacio à me istesso, che da uoj, e dallj parj uostri siamo amatj.

E perche la casata dellj Ermolai gia da buon numero d' annj delle passate mie età m' è stata notissima, ne ciò suol per la sua anticha nobilità e ualore, m' anchora per lj honoratissimj personaggi, che da lei di tempo in tempo sempre successiuamente sono riuscitj e passatj per nostri gradi honoreuolj; non è da dubitar punto, ch' Io hoggi di anchora faccio di lej grandissima stima e conto, tanto piu, quanto ne questi anchora nostri anni uedendola fiorire e godersi del antico suo splendore, per li soggettj, ch' alla giornata produce, nominati e riputati, non solamente in Arbe nobilissima sua cità, ma per tutta la Dalmatia, e di fuorj anchora l' hauemo abbiacciato, che, s' il detto nostro Pietro non farà qualche fallo contro il mio uolere, e di Michele parimente mio fratello, si come certi altri auisj mi scorrono tutta uia l' orechia, non con trauaglio picciolo, gli respondero nel fatto, di che si ragiona, con simigliante raguaglio d' amore e di cortesia. Ne passeranno molti giorni, che sopra ciò

del tutto da esso Michele sara informata. Lo quale con Idio gratia spedirò à casa subbito, doppo San Zorzi, quando le strade serrano piu asciutte e compianate per li uiaggi delli podagrici.

Ben uorei tra questo mezzo, che Vostra Eccellenza qualche uolta facesse admonitione ad esso Pietro, che non precipitasse troppo giouenilmente li suoi appetitj, e che s'accomodasse allj expedientj mej, liquali si come sono stati di beneficio a Michele, cosj, con bonta del Signore, potranno essere anchora à lui. Perche proueduto gia esso Michele, in quanto è piacciuto à Idio, hora seguitarebbe la serie di Pietro. Pur che facesse à mio modo, come ancho ha fatto Michele, ne tenesse costi il stile di poco honor mio e di utilita sua nulla. Ne occorendomj altro per hora, habbiatelo raccomandato, in quantum recipere uoluerit disciplinam; e state sano. Da Possonio alli XII. di Marzo 1566.

XLIX.

Camulius Jakabnak Veranesics Antal.

Ad Jacobum Camulium.

Quod proxime, quum te hinc absolvimus, praeteriit nos tibi committere, id ex his praesentibus litteris nostris intellige, et sic etiam, si res postulabit, exequaris, ut fidelitati tuae, qua es astrictus nobis, omnino nihil deroges, neque committas, ut de te et de officio tuo queri possimus. Scis enim, quod Reveren- 1566. mart. 15.

do Francisco Pankotano, Vicario nostro, Praeposituram Beatae Virginis per mortem Reverendi quondam Hieronimi Domitii Berislaui nepotis nostri contulerimus vigore juris Patronatus nostri, et monueris illum, ut non alio, quam hoc ipso jure nostro installetur et utatur. Ad quod omnino etiam obtulit sese facturum, usurumque non alia, quam nostra et electione et donatione. Quare quum fratres ad installationem eius convenerint, committimus et mandamus tibi strictissime, ut cum aliquibus personis honestae conditionis eidem installationi intersis. Ceterum si videris dominum Cantorem, cui hoc eiusdem installationis munus demandavimus, secundum tenorem donationis nostrae fungi recte suo officio, utcunque alicunde protestabitur, sileas, nec agas quicquam. Verum si deprehendes, fieri ipsam installationem pro voluntate et electione Capituli, mox in medium prodeas cum iis viris, quos habueris tecum, et contradicas huiusmodi installationi cum protestatione publica; nimirum fieri hoc in derogamen dignitatis nostrae, et juris Patronatus nostri. Postea subito occupes nostro nomine memoratae Praepositurae et domum, et possessiones, et quaecunque alia ad eandem pertinebunt, illamque authoritate nostra administres, donec aliud super his constituisse nos ex nostris cognosces litteris. Nec secus omnino facias. Vale. Posonii 15. Martii 1566.

L.

Károly főherczegnek Verancsics Antal.

Ad Serenissimum Archiducem Carolum.

Ii duo Archidiaconi et Canonici Ecclesiae meae Agriensis praesentium mearum exhibitores, delegati fuerunt a Capitulo meo ad praesentem diaetam. Qui quum ad alia, quae habuerunt apud Serenitatem Vestram expedienda, desideratum responsum acceperint; unius adhuc de causa negotii, quod expediendum illis restat, coacti sunt Viennam ascendere, et pro eodem denuo Serenitati Vestrae supplicare. Hoc autem est tale : Idem Capitulum, Agriense videlicet, habet villam Kysfalud vocatam, in citeriore ripa Tibisci, infra arcem Tokay quinque circiter milliaribus sitam. Quo in loco idem Capitulum ab antiquissimis temporibus semper habuit vadum ad transmittendos omnes, qui ultro citroque soleant commeare. Nunc, postquam eadem arx Tokay in Maiestatum Vestrarum, beneficio domini Dei, pervenit potestatem, officiales et praefecti eius, considerata utilitate ipsius vadi, contendunt illud ab eodem Capitulo meo alienare, et ad villam Taryan vocatam, quae est arcis Tokay, milliari uno infra Kysfalud sita, transferre, contra omnem aequitatem, iuraque et privilegia eiusdem Capituli. Quare humillime Serenitati Vestrae supplico, dignetur ad eiusdem Capituli, hoc est fratrum meorum supplicationem huiusmodi clementer respicere, mandareque, 1566. mart. 21.

pro communi aequitate, eiusdem arcis Tokay officialibus atque praefectis, ne idipsum Capitulum Agriense in bonis et iuribus suis molestent; praecipue autem in eiusdem vadi occupatione. Quicquid autem cognoverint de iure ad eandem arcem pertinere, non vi, neque iniuria, sed judicio et justitia mediante id requirant. Reliquum est, Dominus Deus Optimus Maximus Serenitatem Vestram diutissime incolumem et felicem servet. Posonii 21. Martii 1566.

LI.

Thelegdi Miklósnak Veranesics Antal.

Ad venerabilem dominum Nicolaum Thelegdinum, Lectorem et Canonicum Ecclesiae Strigoniensis.

1566. apr. 16. Intelleximus Dominationem Vestram interventu istius Vestrae Synodi impediri, quominus huic cognitioni causae, quae est nobis cum colonis nostris Selliensibus, interesse possit. Quod nos magnopere perturbat. Nec id tamen sic, ut quippiam de suo erga nos animo dubitaremus; sed quia revera nequeat sine expresso assensu Reverendissimi et Illustrissimi domini nostri communis, quod Eandem propter personam et dignitatem, quam in isto Capitulo gerit, eidem synodali celebritati pro sua etiam existimatione interesse velint. In quo quum Dominationem Vestram habeamus excultissimam, tum ut omnia experiamur, quo Eandem assequi possimus; eundem Reverendissimum

et Illustrissimum dominum nostrum diligentissime rogavimus, velit Illam nobis concedere; quum et eidem celebritati synodali non sint defuturi, quorum praesentia decoretur. Et maximo detrimento afficeretur haec Turociensis nostra Ecclesia, si propter Eius absentiam diutius haec ipsius causae cognitio differretur. Rogamus itaque Dominationem etiam Vestram, ut Ipsa quoque sic se huic nostrae petitioni apud eundem Reverendissimum et Illustrissimum Dominum accomodet, ut, quod velimus, impetremus. Idque gratiae si obtinebimus, veniet una cum domino doctore Salatheo in curru nostro, quem istuc misimus cum sumptibus hac de causa; ne qua cura huiusmodi remorari possint. Et bene valeat. Ex Sellye 16. Aprilis 1566.

LII.

Turzó Erzsébet özvegy Ungnad Ádámnénak Verancsics Antal.

Ad Generosam et Magnificam dominam Elysabetham Turzonem, Magnifici quondam domini Adami Ungnad relictam.

Ubi subditi Generosae et Magnificae dominatio- 1566. apr. 22.
nis Vestrae possessionis suae Kewrth conquesti sunt Eidem, quod officialis noster Selliensis coegerit eos ad solutionem nostri thelonii, aliud, quod respondeamus, non habemus, quam quod hoc ipsum nostrum thelonium institutum est simul cum hac ipsa Praepo-

situra nostra Thurociensi a Serenissimo felicis memoriae Bela Rege Hungariae. Cuius institutionis annus iam prope quadringentesimus agitur, fuitque semper per hoc tempus in usu, neque constat, quo iure, quibusve de causis Reges, eiusdem Belae successores, hoc ipsum institutum infregerint, vel voluerint infringere; quum huiusmodi libertatum et confirmationum donationes non alia soleant conferri ratione, quam salvo iure alieno. Ideo Generosam et Magnificam dominationem Vestram rogamus, ne velit nobis indignari, si iura nostra tuemur. Alioqui si quid Eiusdem subditorum huiusmodi iura super hoc valeant contra iura nostra, iure revideri optamus. Nec possumus interim simplicibus cartis, quas variorum dominorum subditi circumferunt, firmiter credere, et ab usu privilegiorum nostrorum recedere; aliis in rebus ita eidem Generosae et Magnificae dominationi Vestrae inservire parati, ut dominae et vicinae nostrae observandissimae. Quam bene et feliciter valere cupimus, Ex Sellie 22. Aprilis 1566.

LIII.

Dudics Endrének Veranesics Antal.

Ad Episcopum Quinqueecclesiensem Andream Duditium.

1566. apr. 28. Quum appulissem huc heri circiter vesperam, casu, ut ex litteris ad Praepositum Felheviziensem datis intelliges, accepi, te Augusta Viennam excur-

risse. De cuius reditu eam voluptatem cepi, quam soleo ex amicorum meorum commodis; non ignarus, te iam taedere tam et longinquae, et longae, immo et molestae legationis, discursuumque, quos hactenus parum proficuos habueris, ob difficultatem rei, cuius provinciam subiisti. Unde etiam ex animo tibi compatior, metuens, ne quid adversae valetudinis contrahas ex tam itineribus gravibus. Quamquam alioqui deberem tibi potius gratulari, quod istiusmodi curis, laboribus atque periculis non solum bene merearis de tuo Principe; sed etiam incrementa quum fortunae tuae cumulas, tum virtutibus quoque tuis, tam illustribus atque praeclaris, famam nomenque dilates magisque constituas. Tibi itaque et de his, et quod optata valetudine fueris, plurimum certe gratulor, precorque ab immortali Deo omnia optima atque prosperrima, sive iam memorata legatione defunctus sis, sive adhuc eam diutius urgebis. Ego, quod fraterni animi mei est officium, libenter te viderem et amplecterer. Sed si id forte ob curam negotiorum Caesareae Maiestatis, domini nostri clementissimi, fieri non poterit; feram, ut potero : tibique interim affectu solito omnia aeque propensissima mea officia defero; et rogo, ut me, quemadmodum amas, ames. Et bene valeas. Tyrnaviae XXVIII. Aprilis, 1566.

LIV.

Károly főherczegnek Verancsics Antal.

1566. maj. 22. Serenissime Princeps, Domine, domine mihi semper clementissime. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Serenitatis Vestrae humillimam commendationem. Benignas litteras Serenitatis Vestrae Vienna die XII. mensis instantis datas, heri accepi : et quod attinet ad eum tractatum, quem proximis annis cum dominis Magnatibus, cum quibusdam Comitatibus, et cum Liberis partium superiorum Civitatibus Agriae adiacentibus, ratione subsidii militaris Agriam in eventu subiti cuiuspiam apparatus hostium submittendi, donec iustum praesidium a Maiestatibus Vestris fuisset expeditum, habueram; ego iam, (ut ingenue et humillime fatear) vix omnino limitationis eius subsidii sufficienter meminerim. Quod ut in exequutionem non est deductum, occasione necessitatis non interveniente; ita demum omissum est, et ferme neglectum. Quum etiam nec libenter fuerant ei assensi, a quibus erat postulatum, nec potuissent, nisi admodum gravate conferre illud, quandocunque fuissent requisiti. Eius tamen ratio, quoad eius recordari possum, sic se habet.

Passa enim Budensis quum Zathmarium oppidum, et in eo Franciscum Zay ac Melchiorem Balassam obsederat subita vi; accidit, ut frustratus illo conatu, in reditu, antequam exercitum solvisset, in campis, Agriae non magno tractu oppositis, diutius sedit.

Quare nos, qui eramus Agriae, ignari quum consilii, tum etiam voluntatis eiusdem Passae, non mediocri sollicitudine fuimus, utpote parum commode instructi viribus ad excipiendum hostem non minus validum, quam subitum; si quid contra nos attentare et experiri voluisset.

Tunc igitur primum cepimus consilium de eiusmodi subsidio procurando; si modo defunctae felicis recordationis Maiestati Caesareae, domino nostro clementissimo probaretur. Quod valde in subitis hostium conatibus proficuum fore, sperabamus. Atque eadem Maiestate per me coram diligenter edocta et informata, placuit rei tota ratio; mihique adjuncto Magnifico domino Joanne Petew, profecti Eperiessium, cum titulo et munere Commissariorum, omnia pro clementi Caesareae Suae Maiestatis voluntate effecimus; quamquam satis difficulter et cum contentione non exigua.

Civitates enim Cassovia, Epericssium, Barthffa Cibinium et Leuchovia, pedites;

Magnates vero, dominus Perinyi, Bebek, Homonensis, Nagymihaliensis, Alaghy, et similes plerique alii, equites dare se promiserant; et quidem alii plures alii pauciores, quique eorum iuxta suas facultates.

Comitatus quoque Hewessiensis, Borsodiensis, Wywariensis, Sarosiensis, Gewmeriensis et Tornensis similiter.

Nec de his possum distinctius meminisse. Et facile Clemens Reghy, tunc temporis provisor et capitaneus meus, huius ipsius subsidii praecipuus inventor, poterit eiusdem transactionis habere copiam. Ad quem etsi ego iam scripsi diligenter, ut eandem copiam, si apud se forte haberet, Serenitati Vestrae

quamprimum mittat; si tamen ipsa etiam Serenitas Vestra eidem clementer mandare dignabitur; crederem, omnia celerius facturum.

Praeterea est quidam Demetrius, cognomento Kypiro, civis oppidi Raaczkewy, quod est in insula Cheppel, infra Budam posita; qui quum tempore legationis domini Francisci Zay, domini Augerii Busbechii, et meae, quam in Turcia habuimus, ita sese in mancipium Magno Turcae dedidisset, ut ab eodem plurium etiam bonorum in Comitatu Pesthiensi administratione et usufructu, quoad vixisset, obtento, perpetuum quoque illi se exploratorem de Christianis fore obtulit ac devovit.

Quare, quantum etiam nobis, dum eramus Amasiae in Cappadocia, apud eundem Turcam et Passas eius, non occulte solum, sed etiam coram, admodum insolenti et aperta contentione fecerit negotium; sic, ut ego illum ibidem duobus Turcae internunciis intuentibus, qui ad nos missi fuerant de publicis rebus, e gradibus, ad quos iam hominem adegeram, praecipitare voluerim, Vestra Serenitas ab eodem domino Augerio et Zay informetur; Sacratissima Caesarea Maiestate felicis recordationis defuncta, domino nostro clementissimo, coram Turcis tali convicio proscissa, quod nos videlicet Hungari non Ferdinandum, sed Nicolaum Olahum Regem haberemus; per contemptum usus metaphora, quae tollerari nobis minime potuit.

Nunc hunc ipsum Demetrium, hominem pravum, seditiosum, et nulla fide constanti praeditum, ab eodem Magno Turca ad Maiestates Vestras defecisse, et ab eisdem gratiam ac etiam donativum obtinuisse, intellexi. In cuiusmodi rebus, etsi Maiestatum Vestra-

rum clementia vix in toto mundo habeat parem, nec debeat, nisi summe extolli admirarique ab omnibus gentibus; putarem tamen, non esse illi confidendum, et eo etiam minus credendum, quod cum duobus filiis dicatur transfugisse. Fallaces enim homines, ut facilius, quos captant, fallant, consueverunt omnes modos ac partes applausibiles sceleri suo adhibere, ut ab se remota omni suspicione facinoris meditati, fidem acquirant, ac tandem interea temporis pergant secure in officio hostibus pollicito.

Quapropter morum actionumque huius hominis priorum non ignarus, audita mutatione eius instituti, quod apud Turcas habuit, visum est mihi, debere me obiter Serenitati Vestrae humillime significare, quisnam sit hic homo, et quantum hoc tempore, quo tanti motus hinc inde intenduntur, aut credi, aut committi illi debeat. Qui quum sit audax et sagaci ingenio, diuque iam versetur in officio, limites Regni Maiestatum Vestrarum pessumdandi ac prodendi, suspicandum etiam maxime est, Magnum quoque Turcam non alicui rudi ac simplici, sed vafro, et in diuturnis flagitiis versato id explorationis demandasse. Ipse itaque modis suis (si quid meo iudicio tribuitur) observetur, nec habeatur omni ex parte liber. Ego autem, si quid in hoc non interrogatus opinionis meae minus fortasse opportunae attulerim, Vestra Serenitas clementer mihi ignoscere dignabitur. Quam Deus Optimus Maximus felicissimam conservet. Ex Sellie XXII. Maii M. D. LXVI.

Kviül : Serenissimo Principi ac Domino, domino Carolo Archiduci Austriae, Duci Burgundiae, Tirolisque Comiti etc. domino et Principi mihi semper clementissimo.

LV.

A triumszlécsieknek Verancsics Antal.

Ad Zleczenses colonos.

1566 máj. 31. Affici vos apud Egregium dominum Christophorum Cubiny magnis incommodis, de quibus nobis per hunc vestrum nuntium conquesti sitis, abunde intelleximus; vellemusque, ut eius optimi, ac nobis amicissimi viri procuratione status vestri, quae ad breve tempus commodo vestro illi est commendata, propensioribus officiis vestris eniteremini agnoscere et complecti. Quippe qui quum vobis saepissime antea et apud me, et in Comitatu isto Lyptoviensi potrocinatus fuerit, defenderit etiam, quoad potuit, a multorum, qui vos interdum variis iniuriis affligere voluerunt; miramur non mediocriter, quomodo iam duriorem sese erga vos exhiberet, postquam et utilitatem ex vobis percipiat, et in tutelam suam, rogatus a nobis, vos acceperit. Nam quum videremus gravari vos, debita nobis servitia vestra Varalliae apud Turocziense claustrum exhibere, iuxta aliorum nostrorum subditorum leges, assidueque in his contumacia vestra, et supplicibus libellis vestris, quibus fere omnimodam a nobis immunitatem sollicite petebatis, vexaremur; huiusmodi via experiri vos voluimus, quam gratum pretiosumque imperium nostrum habere debuissetis. Quod et vobis, et aliis Comitatuum istorum omnibus subditis nostris, consortibus vestris, fuit semper indulgentissimum et moderatissimum.

Verum quia omnino vos parum perspicitis commoda vestra, et, quidnam eorum velletis magis, quae captatis, parum et iudicio solido; committimus vobis, ut desinatis pro nunc huic nostrae cum Egregio domino Cubiny transactioni commendatitiae contraire, vosque sic eius voluntati accomodetis, ut et officia et obsequia vestra illi non desint; habentes respectum etiam ad futurum tempus, quo, ut antea saepenumero vobis fuit beneficus, ita et postea, quum in pristinum redieritis, esse non recuset.

Ut autem, si quae ab eius Egregia dominatione difficiliora sustinetis (quod adhuc non credimus), leviora vobis fiant, scripsimus ad dominationem eius, et confidimus, quod respectu nostrae amicitiae nihil tale vobiscum est acturus, quod sufferre nequeatis. Tantummodo non detis aliquibus quorumpiam susurationibus apud vos locum, qui fortasse odio domini Cubiny perturbant vos, ut ipse perturbetur. Sed hac ratione, quum vos magis turbabimini; cavete, ne vos similes homines fallant, et amicum amittatis magna cum iactura vestra, quem postea, ubi vos subierit poenitudo, ex errore sero agnito, frustra recuperare contendatis et laboretis. Valete. Ex Sellie ultima Maii 1566.

LVI.

Kubinyi Kristófnak Veranesics Antal.

Ad Christophorum Cubiny.

1563. máj. 31. Zlecenses mei (uti ego video), dum omnino liberi esse volunt, nec naturalem dominum, nec temporarium, cui sunt commendati, aequo animo ferre possunt. Et sic produnt suam (nescio) simplicitatemne, an malitiam, magisque incidunt in id, quod refugiunt. Quale ingenium semper peculiare fuit huiusmodi plebeculae. Nimirum maxime tunc desipere et impingere, quum se melius commoda sua perspicere arbitrantur, quam eos, quorum potestati ac iuri subiecti sunt; ad ea magis, quae appetunt, respicientes, quam intelligentes, quod revera illis conduceret. Sed quid? Compatiendum est conditioni humili, et parum providae; quando et ipsi homines sint, et careant, ut libertate, sic et iudicio et consilio. Questi sunt enim apud me, quod ab Egregia dominatione Vestra maiore servitiorum laborumque impositione premerentur, quam leges eorum postularent; essetque illis propterea admodum grave subesse domino alieno; petitione adiuncta, ut eos huiusmodi commendationi subducerem, et ad me reciperem. Quod ego etsi futurum bene praevideram, non ignarus similis plebeculae studiorum ac morum; quia tamen commune est omnibus hominibus odio habere servitutem, non est mirum, si iam Vestrae quoque dominationis imperium, cuius mihi et humanitatem, et mansuetudinem, et patrocinium saepe antea

commendarunt, detrectare modo videantur; quum neque meum, quod habuerunt semper indulgentissimum, sustinere potuerunt. Sed in omnibus, quae aut probantur illis, aut improbantur, audiendi non sunt. Neque subito eundum est, quo commentis suis dominos suos, qui pariter et pietate, et prudentia magis, quam ipsi pollent, neque ignorant, quanam regula, quave ratione moderari ac regi debeant, astutius abducere tentant.

Propterea scripsi ad illos, ne tam repente in Egregiam dominationem Vestram, immo et in se ipsos, et in me tumultuari velint; sed officio suo propensius insistant, Egregiaeque dominationi Vestrae obsequentes sint, donec apud eandem erunt. Neque putent usquam se ita, uti cuperent, liberos et immunes ab operis dominorum fore, etiamsi quotidie experirentur decem. Quantoque ad maiores essent migraturi, tanto graviore exercerentur servitute. Speroque assensuros huic meae admonitioni; tantummodo dominatio Vestra Egregia dexterius aliquod et speciosius in regendis artificium adhibeat; quo utique ex officiis eorum potius, quam ex otio et contumacia capiat utilitatem debitam, cum qua etiam fuerunt a me commendati.

Ceterum quia iam Nicolao Jaiczay satisfactum est, domum etiam, quam novit, solvi ab eius vinculo, quae in chyrographum, Egregiae dominationi Vestrae expectatum, ascribi debeat; ubi primum rediero Posonium, id ipsum chyrographum expediendum mittendumque curabo. Bene valeat, et nostra familiariter utatur opera. Ex Sellye ultima Maii 1566.

LVII.

Dolfinus bibornoknak Verancsics Antal.

All' Illustrissimo Cardinale Dolfino.

1566. jun. 3. Al' arrivar di qua del signor dottor Francesco Spadari, secretario suo, Io ero in Hongheria ne certi beni mei. È molto harei voiuto, se non quelli giorni m' havesse ritrovate in Vienna, acio più tosto la Reverendissima et Illustrissima Signoria Vostra fusse stata servita da quel pocho, che vaglio alli commodi soi. Ringratiandola summamente, che con la solita soa verso à me amorevelezza, i habbia degnata di visitarmi con le soe benignissime lettere, è valersi anchora della mia servitu, ò grande, ò piccola. La quale tutta, senza alcuna exceptione sempre è prontissima alli soi voleri. Per tanto non vogliando dar induggio alchuno à fare tutto quello, che commette nelle soe cose gia ben à me intese per le lettere di esso signor secretario suo, questi otto giorni alla venuta de Soa Maestà. Io anchora con il restante delli signori conseglieri Onghari saro in Vienna, et sforzeromi di fare tutto quello nel servitio della Illustrissima e Reverendissima Signoria Vostra, che potro, e sapero. Pregando la bonta Divina, che la conservi à longissima vita, e siali propitia in tutte le soe cose à suo piacere e desiderio. Dal oppido di Sellie alli 3. de Zugno 1566.

LVIII.

Keresztély Bálint minorita tartományfönöknek.

Ad Rererendum Valentinum Christianum Provinciae Minoritarum Austriae.

Reverende domine Pater, et amice honorandissime. Egregium virum dominum Antonium Hugi Justinopolitanum, ut amavi, huncque semper antea commendatum, ductus virtutibus eius, ita et nunc, et imposterum paratissimus sum promotioni ipsius adesse, ubicunque causa eius postulaverit. Et quia non minore observantia Reverendam quoque paternitatem Vestram prosequor, faciam etiam sua gratia propensius, quicquid sciero eidem domino Antonio fore commodo. Quum autem brevi ad felicem appulsum Sacratissimae Caesareae Maiestatis, domini nostri clementissimi, ego etiam futurus sum Viennae Domino adiuvante; non id litteris, sed praesentia obire studebo, ut omnia solidius ei praestent ab officio meo, quaecunque ad rem illius spectare videbuntur. Reliquum est, Reverendissimam paternitatem Vestram optime valere et me amare cupio. Ex Sellie 4. Junii 1566. 1566. jun. 4.

LIX.

Graussupolo Antalnak Veranesics Antal.

Ad Reverendum Patrem Antonium Grossuplum.

1566. jun. 4. Alle vostre del XVIII. d' Aprile non ho potuto prima responder per non esser stato tutta via in un locho de queste nostre parti, et havendo havuto occupatione de più negocij mei particolari molto importanti. Hora ch' li rispondo, non solamente tardi, ma anchora in brevita, si dignara d' havermi iscusato. Perch' essendo io anchora per venire à Vienna, nella arrivata de Soa Maestà nostro Signor, mi riservero alla presenza, per raggionare con essa lei piu à longo sopra i tre articoli di confessionisti, porretti à Soa Maestà nella Dieta Imperiale, ch' da me mostra desiderare.

Pur tra questo, lasciando adesso i particolari si del primo, come delli dua seguenti, diro un pocho del ultimo; cioè ch' Io vorrei ch' il celibato nostro, quantumque pericoloso e difficile, restasse nel stato suo et che ali appetiti della carne nostra non cerchessimo remedij dalla carne, ma piu tosto dalla mortificatione d' essa, è combatessimo legitimamente, è da vero con essa lei, per pigliar pei corona, fatti trionfanti del nemicho, quantunque con molto e spesse ferite, immo anchora con percosse molto gravi dal aversario rizevute.

Ma vorrei anchora, ch' li concubinari, scortatori, fornicatori, e simil altre puzze piu brutte, et indegni

etiam Dio del nome, non si tolerassero nella Santa Chiesa. E ch' non si pensasse mai, di voler congionger li Catholici con li confessionisti. Perche si metterebe al giocho delli delegiatori nostri tutta la disciplina nostra Apostolica; la quale deve essere fermissima, e non si leggiera, ch' agli appetiti d' ogni novo spirito, si butti ne tanti, e tanti. Interim

Perche se la Santa Chiesa e religione nostra Catholica è corona di verita, come certamente è, perche di tempo in tempo farla foglia di vento? e non tenirla solamente in soa reputatione, lasciando andar gl' heretici arbitratu suo per praecipitia adinventionum suarum, non autem indulgentia et pietate Matris Ecclesiae? La quale fu sempre vincitrice nella soa constanza, d' uno et de istesso sembiante, e trionfo de tanti e tanti prodigij cussi fatti del mondo e violatori del vero Cristiano evangelio. Cussi anche adesso è da sperare, ch' li succedera, se non si smarira, ne condurassi à dar voce alli nemici della fortezza soa. Brigino pure, quanto vioglino e possino. Emanuel enim nobiscum est, nel qual puotremo il tutto, si non haesitabimus.

Ne più per adesso; perch' presto saremo insieme. Signor Iddio l' ami, e lei à me, come fa sempre. Da Sellie il 4. di zugno 1566.

LX.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1536. jun. 5. Salutem et omnia felicia. Ex litteris dominationis Vestrae Reverendissimae, quas a Valentino accepi, consideravi Eam varie affectam, cum propter varia, et quotidiana, et longe insperata temporum incidentia, tum etiam praecipue mei causa. Quid igitur? Vimne fatis inferemus? aut in impossibilibus excruciabimur? Absit. Quod ad me meamque expeditionem attinet; non ignorat, me semper in eius potestate fuisse, semperque me accomodasse suis temporibus, proinde et nunc; fiant quae fieri possint, impossibilia valeant, et laudetur Dominus. Impedimenta autem, de quibus Jacobus scribit; ea non adscribo alteri, nisi tantum sorti domus nostrae. Ceterum quod Caesarea Maiestas iubet secum in expeditionem proficisci; dominatio Vestra Reverendissima cum sola sua curia consueta ire poterit libere sine exercitu; noster ille Agriam custodit nunc, ubi Suae Maiestati est maiori usui. Quodcunque animal unam tantum habet pellem. Interim in nunc dominationi Vestrae Reverendissimae nescio quid rei ibi est; Ea pro sua prudentia iudicabit, et pro voluntate accipiet. Dudum cogit auersa, ut dominatio Vestra Reverendissima, donec captivi illi redimerentur, aggrederetur Reverendissimum dominum Strigoniensem pro reliquo nostro subsidio, hoc est mutuo petere, aut saltem ad mensem Augustum. Sed quoniam facile invenire posset excusationes,

videat si commodum esset, commodare se hoc pretio vinorum suorum, quae in Selye venduntur; alioqui etiam vix per totum Augustum educilabuntur. Tente autem, ut mox Selienses cum aliis eam summam deponant. Quis scit? forsan facient, vel cum aliquot parvo emolumento, aut promissione educilandi eis aliquot acones vini. Interim aut captivorum, aut Cathay promissio, aut pensio ex Camera accedet; tamen non urgeo, nec si non faciet, aegre feram. Et si cogor esse aliquanto molestior, ignoscat mihi; nam tempus meum breve est. Et vereor, ne hoc munus sit mihi ultimum a dominatione Vestra Reverendissima; non ex parte Eius, quae nunquam non vere germanam liberalitatem in me profudit, sed ex mea. Haec enim mea aegritudo eo iam deduxit vires mei corporis (ut videt); ut iam non post multum temporis cogar in cruciatibus vitam ponere; nisi Dominus Deus illius minutae adhuc familiae misertus fuerit. Licet autem sciam, quod dominatio Vestra Reverendissima de hoc sit sollicita plus quam vellem, et se circumagit per omnia : ideo et ego ausus sum ista, quae superius innui, in medium adferre. Credo namque, quod et dominus Archiepiscopus, velit nolit, facile assentietur, et contentus erit ex Camera accipere; quod illi longe facilius est, quam dominationi Vestrae Reverendissimae; quam Dominus Deus diu feliciter conservet. Ex Posonio 5. die Junii 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Mitto dominationi Vestrae Reverendissimae litteras Focassi, et Reverendissimi domini Cardinalis Augustani, quas mihi servitor Domini Varadiensis consignavit.

Kívül : Reverendissimo Domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, Perpetuo Comiti Hevesiensi et Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario, Domino meo colendissimo.

In Selye.

LXI.

Divék Endrének Verancsics Antal.

Ad Andream Divecum praefectum suum.

1566. jun. 10. Bene meminimus, quod tibi de loco minerae Klek vocato in montanis nostris inquirendo superioribus mensibus commiseramus. In quo, ut sollicitus sis etiam imposterum, scito te perquam gratissimum nobis officium servitutis tuae praestiturum, si eundem locum pro desiderio et voluntate nostra assequeris. Quod autem attinet ad homines Egregii domini Joannis Rakowsky, nostri amici et vicini subditos, quos ais, te in ipsis locis montium nostrorum, in quibus esse mineram suspicio est, cum instrumentis opificii mineralis deprehendisse, et detinuisse; probe et ex officio fidelitatis tuae fecisti. Ceterum, ubi a nobis edocere postulasti, quid in eorum causa agere te oporteat, res eiusmodi est, quae non debeat negligi. Et quamquam ad amicum nostrum sit respiciendum nobis, sic tamen etiam jura nostra sunt tuenda, ut parcendo alienis, protegendis et conservandis nostris non desimus.

Quare accedas dominum Gasparem a Benycz, amicum et vicinum nostrum, eumque consulas, quomodo tibi in hoc procedendum erit, ususque eius consilio, sic de iisdem agas hominibus, ut ipse suadebit. Instrumenta tamen mineralia omnia apud te reserves ad adventum nostrum; inque vel unico eorum defectum fuisse factum, cave intelligam. Sed illud quoque non committas, ut eundem dominum Joannem, quem habemus amicum, reddas nobis inimicum.

Et satis tibi sit (quo nos etiam contentabimur), ut dimissis domino suo hominibus sine offensa liberis, cures ab eisdem vel palam, vel secreto locum memoratae minerae assequi; quo sic et amicitia viri, certe nobis charissimi, salva remaneat, et in montanis nostris notitiam quaesiti loci obtineamus; non interim redditis instrumentis, donec nobis videatur, et cum eodem domino Joanne coram colloquamur. Haec tibi super his duximus esse respondenda.

De Martino Litterato id habeas, quod unam domum recte duo patresfamilias domini commode regere et procurare minime possunt. Ideo si oblata conditio, quae offerri in praesentia potuit, ei non arridet, expectemus aliam occasionem. Est enim mihi curae; sed istud tuum officium non partiar in duos, quando et tu non ignores litteras, et non praesis tantae provinciae, cui ob eius magnitudinem sufficere nequeas.

Ad Magnificum dominum Joannem Balassa scripsi, ne colonos nostros Zelnicenses vexet. Tu litteras nostras mitte ad eum, non per subditum nostrum, sed per Judicem Nobilium, et per aliquem Procuratorem causarum amicum nostrum. Et in exhibitione earundem, si quid responderit, quod aequitati non erit consonum, protestentur juridice; quo sic tandem princi-

pium exordiamur nostrae causae, cum illo brevi ineundae. Cui quidem nequaquam deesse intendimus.

Postremo habeas de apparatu bellico, quem nunc Maiestas Caesarea et Regia, dominus noster clementissimus, omnibus Regni Ordinibus imperavit. Tu vero instrui desideras, quo modo eum, qui nos ratione istorum bonorum nostrorum concernit, expedire debeas. Nam quum et ipsi nos etiam simile mandatum Maiestatis Eius habeamus, quod tibi ad videndum misimus; et cuique viritim sui apparatus gerenda cura est pro ratione et numero colonorum, quotquot quisque habuerit: non dupplicem apparatum expedire debebimus, alterum videlicet penes Comitatum, alterum personam nostram; sed unum duntaxat, cum quo etiam iubemur mandato eiusdem Caesareae Maiestatis, ut illi in castris nos, quocunque ea loco habebit, praesentemus. Postremo tandem, quum in aciem erit omnibus prodeundum, nostrae quoque copiolae iungentur Comitatui, et rem una, si oportebit, geremus. De quo, uti putamus, bene iam edoctus, scis quae et Comitatui respondebis, et eniteris facere, ut in hoc eodem apparatu nostrarum partium expediendo nulla mora commitatur.

Quum itaque de quolibet colonorum nostrorum centenario numero decem equites et decem pedites habere nos iuxta articulos anni 1556. debeamus, convoces omnes judices et juratos, et nostro nomine proponas illis, ut statim pecuniam expediant pro bimestri tempore. Tu vero seligas ex iisdem nostris subditis tot iuvenes aetatis firmioris pro pedestri ordine, quot ex numero eorundem bonorum nostrorum scis fieri oportere, eisque mandes, ut cum pixidibus suis, ceterisque armis necessariis, ac vestitu militari sint instructi et parati

sic, ut quum iusserimus illos venire ad nos, praesto sint, dignosque esse iudicemus, quibus stipendia debita impendamus. De equitibus nos gerimus curam, iamque bonam eorum partem habemus; et quotidie instruendos, conducendosque, qui desunt, reliquos curamus. Tuque interim da operam primo quoque tempore, ut vestito Georgio Poldrusio Castellano arcis nostrae Znyho, quemadmodum proxime tibi iusseramus, de eiusdem arcis firmiori statu, et custodia sic provideas, tam de munitionibus pulverum, victualium, hominum praesidiariorum fidelium, quam etiam de omnibus aliis rebus, quas eius securitas et conservatio requirit; mandesque diligenter, ut et die et nocte multo vigilantius et circumspectius eius arcis custodiae incumbant, quam huc usque; quia turbulentiora in dies ingruunt tempora, et quotidie emergit aliquid in nostris finibus, quo debeamus magis de rebus, de bonis, ac etiam domibus nostris esse solliciti. Vale. Ex Sellie 10. Junii anno Domini 1566.

LXII.

Uszalyi Péternek Veranesics Antal.

Ad Petrum Usalinum.

Ante quinque circiter dies scripsit dominus Vice- 1566. jun. 12.
comes Comitatus Posoniensis litteras ad Perediense nostros, eisque sub gravissima poena commisit, ut unum currum cum hominibus aliquot et instrumentis

Jaurinum ad servitia quaedam subitanea obeunda ex pediant. Quibus intellectis; grave et nobis et ipsis colonis nostris admodum fuit, quod quum in articulis publicis Regni conclusum sit, ut subditi Praeposituraе nostrae Thurociensis, et praecipue Sellienses ac reliqui huc pertinenses, in arcem Wywar militent, et iidem labores quoque ac servitia sua praestent; difficillimum haud dubie est, ut bifariam serviant. Jusseramus autem officialem nostrum ad eum scribere, eundemque de hoc articulo edocere. Sed frustra; quia denuo respondit, ita fieri oportere; nec nunc res huiusmodi secundum articulorum ordinem admittere propter obsidionem Palothanam. Ne itaque pauperes illi aliquo afficerentur damno, obtemperatum est Comiti. Ne tamen hoc in posterum quoque fiat, et res usum accipiat; scripsimus ad Reverendissimum et Illustrissimum dominum Strigoniensem, ut, si erit aliqua via, provideat, ne ii miseri bifariam ad huiusmodi servitutem redigantur. De quo Egregiam quoque dominationem Vestram edocere voluimus, ut sciret, curaretque ipsa etiam, si quo modo poterit, ut a tali gravissimo onere immunes fiant, ac servitiis duntaxat istius arcis Wywar reserventur. Quam etiam felicissime valere cupimus. Ex Sellie XII. (Junii) anno 1566.

Quum iam praesentes litteras nostras essemus clausuri, responsum ad alias nostras ab eadem accepimus. Nec putamus, opus esse ad priorem partem suarum quicquam subiungere, nisi ut eiusdem monitis, atque consilio, immo etiam benevolentia utamur. De negotio decimae tantummodo nonnihil agemus. Cuius si arendationem concessibilem, immo et promulgationem suo tempore intellexissemus, credimus quod eam, et quidem totam, nemo praeripuisset nobis. Et par

(uti existimamus) erat, ut Sellie, et officialis eius eandem promulgationem accepisset. Sed quia vix octo dies sunt, quod memoratam decimam (uti iam diximus) concessibilem esse audivimus, experiri voluimus, si vel hanc saltem nostrorum bonorum partem obtinere possemus, quae provenit in territorio Sellie et Kyralfalwa.

Cur autem rei nos advigilare non potuerimus, causa est, quod; quia elapsis aliquot annis in usus domini sui colligebatur, negabaturque palam omnibus; ne nos quoque desiderio eius frustra sollicitari voluimus. Nunc itaque, quoniam iam concessibilem factam esse videmus, etsi pro tota loqui nequeamus, si tota nobis non conceditur, at saltem pro ea eius parte (arbitramur) loqui nos posse, ut cuius terrestris dominus sumus, et excusamur in reliquo, quod memoratam promulgationem illius arendationis suo tempore non intellexerimus; Egregiam dominationem Vestram diligentissime rogamus, velit amicitiae et officiorum nostrorum gratia impensius aliquanto curare, ut dominus provisor Comaromiensis, et Jaurienses Capitanei concedant nobis hanc ipsam eiusdem decimae partem, quae est in ipsis bonorum nostrorum duobus locis supramemoratis. In quo quum et dominatio Vestra Egregia, et memorati domini amici nostri declarabunt erga vos benevolentiam suam; tum et nos dominationi Vestrae pretium citra moram deponemus, et ipsis dominis amicis nostris iam supramemoratis gratificari pro eorum commodis maioribus non praetermittemus, ubicunque et quandocunque operam nostram usui suo accommodare voluerint.

LXIII.

Verancsics Antalnak Camuglia Jakab.

1566. jun. 16. Reverendissimo bon Signor, Signor mio sempre gratiosissimo. Questi zorni passati hebi doi mande litere dala Signoria Vostra Reverendissima; une scrite ali 15. di Mazo, et l' altre per Bodi deli 4. di Zugno. Ale qual prime za ho dato resposta per Zabo Tomas de Berin; il qual chredo le abia mandato per il suo homo; secondo chel mi a inpromesso. Niente di mancho adesso anchora non resto di scriver il tuto; et dar resposta a tute dui.

Primamente quanto al stato de li captivi; Io mai ho potuto conchluder altramente con Zabo Tomas, se no me in questo modo; che oltra li 609 fl., che za la Signoria Vostra Reverendissima ha nele mani, darano 2500 fl. de danari contadi subito, et inter mene de zorni 15 quella li avera fidelmente nele mani o in Selie, overo dove che quela si ritrovera; ma con questo, se la Signoria Vostra Reverendissima si contentera. Perche Zabo Tomas dice, che quel Turcho, che vol reschatar il Chelebia con li altri captivi, non vol dar piu un quatrino; dove che Io li o dato questa resposta, che no volio mancho un quatrino de quel, che la Signoria Vostra Reverendissima ha scrito et commesso. Perho se la Signoria Vostra Reverendissima sara contenta, di lasarli per quel, che inprometeno, bene; se non, sta a quela. Et circha cio la Signoria Vostra Reverendissima, quanto presto sara possibile, quela mi scriva, et dia relatione. A me certo parerebe

de la sarli, perche vedi, che Magochj fa quel, che vol per despeto de la Signoria Vostra Reverendissima, come fina adesso, che 'l per forca fa esser piezo il Chelebia, et poi ben bastonato, et tenuto in cepi, lo fa pagar a lui solo la piezaria de li 600 fl., benche sono stati 7 piezi, et il pilya la roba dal Chelebia, la qual have portato il Ebreo per vender, et per dar il danaro nele mie mane per nome de quela; ma Io non so che fare. Se li parlo qualche cosa sulamente, il sene ride, et per questo diche, che se para ala Signoria Vostra Reverendissima di lasarli, veda; perche o paura che un zorno non averemo ne un ne l' altro, se 'l Magochj fara quel, che za a comencato; et poi sara dificile litigar con lui; et per questo la Signoria Vostra Reverendissima faca il suo parere, non il mio.

Quanto al negotio de Sircz con Catai, anchora non ho parlato, perche non e stato mezo; ne o trovato il tempo de venir al Preposito di questo; ma subito vedero di conchluder con lui, et quel, che avero conchluso, subito avisaro la Signoria Vostra Reverendissima per il primo.

Circha ali prati dela Prepositura Mazore; io non li posso cavar utilita nesuna, perche Corlat Cristopf l' a fato segar tuto il prato de Koch, dove che io aveva mandato per falcharlo; et quando andai, trovo, che za lo falchano. Po subito parlai al signor Magochj, dicendo, che 'l non lasase ter per forca li prati de la Signoria Vostra Reverendissima. Il qual mi rispose, che non pol far di mancho, perche besognia, che li soldati abiano con che mantegnir li cavali; et besognia che 'l tenga soldati; niente di mancho diceva, che li cometera. Ma no vedo niente Chelabia comesso; perche za le messo in Muchjo.

Parl'ai con il dito Corlat, che 'l non debesse molestar, ne tior li feni di quella; ma lui mi rispose, che Magochj ge l' abia dato. Cussi anchora il prato grande de Zyhalom lo fato io falchar.

Et e andato Magochj, et se l' a dato a uno, che si dimanda Chapy Cristopf; il qual di matina lo vol far menare via. Niente di mancha adesso andaro da Magochy, et li parlaro circha cio non altro. Perora se nome, che la Signoria Vostra Reverendissima, quanto presto sara possibile, del tuto mi scriva, et dia resposta. Ma al Magochy, se quela scriva, scriva con qualche bel modo, overo non scriva niente; perche subito il fara qualche oltrazo a me, come a signor Adam et altri. Et con questo ala Signoria Vostra Reverendissima per sempre mi a richomando, et prego Idio, che za faca venir al fine questo efeto, et conduchila de qui a salvamento.

Datum Agriae 16. Junii 1566.

Dela Signoria Vostra Reverendissima
minimo servitor
Jacomo Camuglia Dalmata mp.

Kivül: Reverendissimo Domino, domino Antonio Verantio, Episcopo Agriensi, Comiti perpetuo Comitatuum Borsodiensis et Hevesiensis, hac Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario etc. Domino mihi semper gratiosissimo.

LXIV.

Veranesics Antalnak testvére Veranesics Mihály.

Salutem et omnia felicia. Accepi a domino Vicario Agriensi litteras dominationis Vestrae Reverendissimae, in quibus illud tantummodo erat, quod Eam haec praesentium temporum facies nimium conturbaret; cuius rei causa solum est expensarum penuria, bellum enim magno sumptu indiget. Tamen dominatio Vestra Reverendissima non ita indulgeat sollicitudinibus tanquam rebus subitaneis; restat adhuc aliquantum temporis, quibus dirigere huc negotia poterit. Jam enim valida pars exercitus hostibus opposita est, et quotidie augetur; Maiestas vero Caesarea, etiamsi personaliter rebus adesse voluerit, non ante movebit, quam adversarium Budae esse cognoverit, quod in Augustum aut Septembrem protrahetur. Forsan, uti et credo, dominatio Vestra Reverendissima mei, quam sui sollicitior est; et eorum, qui ad domum et nomen nostrum pertinent. Sed haec quoque curare velim omittat. Non sum subitae voluntatis, non intemperans, denique non impius; ut qui Eius pietatem et benignitatem cogere aut impellere praesumam. Dabo locum tempori, accomodabo me fortunae et casibus; et si hac aestate denegatum erit domum abire, primum ver non deerit; modo interim nos conservare ab hac tempestate instanti possimus alicubi locorum extra telum et timorem. 1566. jun. 19.

Doctor Illicinus hodie hinc Tyrnaviam est pro-

fectus, futurus alia die (apud) dominationem Vestram Reverendissimam. Ex eo intelliget multa, tam de exercitibus, quam de aliis variis rebus. Haec sunt igitur, quae mihi hoc tempore scribenda erant; si quid occurrerit, scribam deinceps.

Interim Dominus Deus conservet Eam incolumem ad multos annos. Ex Posonio 18. die Junii ad vesperum, qua advenit Sebastianus 1566.

Michael Verantius
frater et servitor.

XLV.

De Andreis Ferencz felhévvizi prépostnak Verancsics Antal.

A messer Francesco d' Andreis Preposito Felheviziense.

1566. jul. 12. Per la risposta delle vostre di XII. de Mazzo datemi alli VI. di Zugno in Sellie, non occorreva iscusarvi, che nella partita sua da Vienna, non mi havea rescritto segondo il suo volere, essendo Io stato di soverchio anchora sodisfatto cò quelle, et dio si breve che mi mando nella detta sua partita. Quando l' amore è la benevolenza fra gli amici non tanto consiste nelle demonstrazioni apparenti, quanto nel archano di cori, è nelli schietti officii. Il che persuadendomi Io del amore è della benevolenza vostra, che me portate da molti anni constantissimamente, saro

sempre sodisfatissimo delle vostre, quantunque altro nò hauessero in si, che „Si vales bene est, ego quidem valeo, et te ut soleo amo.“

Il restante del uostro credito, che havevate cò quondam mio Belgramonio, vi mandai in XX ducati d' oro portugalesi per il nostro Vsaly. Loglie credo, che gia hauete rizevuto.

Delli vostri vini ero per far tutto quello, che pensavo essere al commodo vostro, è che soglio prestare ad ogni amicho mio di somiglianza vostra. Ma quando venni à Possonio, è gustai li detti vini, ch' erino da sei botte in cercha, gli trouai tutti pendoli, et in tal maniera destrutti, che veramente nò mi basto animo di torli vedendo, che ne per danari, ne per il uso della fameglia erino boni, come intenderete da pre Nicolo di Varasdino, procuratore d' essi vini, in presenza del quale gli uolse vedere è gustare tutti in casa mia. E li dette conseglio, che, per no farui danno vendendoli al presente, alla noua vendemia li reservasse, e reparasse con le vue è mosti novi. Quello mo fara, Io non so. Ma saria bono, che voi anchora li deste tal commissione. Perche forse si repararanno, e saranovi d' utilita, della quale adesso no sono.

Al Monsignore Arciuescovo nostro non resto di fare ufficio amicheuolissimamente per voi ogn' hora, che mi occorre. Ma ni occorre molto raro. Pur si fa quello, che si couiene alla amicitia nostra.

Che il Reverendissimo Monsignore de Cinque Chiese mi è bon amicho, Io anchora mai nò ho dubitato. Ma ben voi mostrate hauer nò so che puocho di dubbio, tanto spesso scriuendomi di ciò, è lo giuramento anchora, senza da me esser richiesta. Quare edissera ad hanc parabolam. E se qui aue qual cosa,

che per voi possiamo, adoperatine sen-a ogni rispetto. Perche vi amo al solito è senza ogni colore. Al Reverendissimo N. Cinque Chiese offerite gli mei ufficii, e sappiate fermamente, che li desidero tutti l' honori è grandezze, che si conuengono alle soe vertu, è cortesia, honorata da molti è da me tanto, quanto nò ciedo à nissuno nel amarlo è volerli bene.

Di novo altra qui nò habbiamo cha li apparati di guerra è la espettazione di Turchi, li quali vengono, come si raggiona, cò grande moltitudine, e con il suo Prencipe. Iddio sia con voi, e voi state sano. Da Vienna alli XII. di Luio 1566.

LXVI.

Pernessy Istvánnak Veranesics Antal.

Ad Stephanum Pernessy.

1566. jul. 14. Heri cum Egregio domino Andrea Pernezzy fratre germano Egregiae dominationis Vestrae colloquuti sumus de controversia, quae est cuidam Gabrieli colono suo cum Mattheo Somogyj subdito nostro satis abunde cupientes, si quo pacto fieri posset, ut iam tandem eadem controversia finem suum sortiretur. Sed quum nulla prope in parte videntur ea simul convenire, quae hinc frater dominationis Vestrae asserit, inde Mattheus Somogyi subditus noster loquitur, de quibus alios etiam jurium nostrorum peritos consulere non praetermisimus, viam aliam non reperimus, qua

haec eadem controversia bono modo terminari possit, quam via juris et justiciae. Dominationem Vestram Egregiam rogamus, velit ipsa etiam ad hoc accedere, et quoniam de eodem subdito nostro nos judicium Eidem administrare in loco suo minime recusamus, quicquid idem colonus eius contra eum habuerit; non gravabitur mittere, qui in possessione nostra Pered id revisionis obeant, nosque curabimus, ut secundum Deum et justitiam eius utrique parti judicium rite administretur.

Ceterum quia detentionem quoque eiusdem subditi nostri non satis legitime fuisse factam intelligimus, quum idem non sui sed nostri juris sit, qua ratione fideiussio etiam ab Egregio domino Clemente Zalay expetita pro eo fuerit, nec praeceptoriae litterae domini Judicis Curiae Regiae Maiestatis redditae illi fuerunt; constabit postea ex judicio, quod adhuc non est factum legitimum. Ideo rogamus Eandem, ut interim, donec serio et legitimo judicio haec ipsa causa tota revidebitur, velit supersedere a vexatione tam domini fidejussoris, quam etiam eiusdem nostri subditi, quem, quum judicii tempus aderit, ita coram sistemus, ut aequitas et causae ratio postulabit. Reliquum est, Egregiam dominationem Vestram bene valere optamus. Viennae 14. Julii 1566.

LXVII.

Verancsics Anlalnak testvére Verancsics Mihály.

1566. jul. 16. Salutem et felicitatem. Misi ad dominationem Vestram Reverendissimam equos decem, quos petiit, cum kochy. Mitto etiam litteras Blasii Buday, quas voluit cito perferri ad Eam. Quod reliquum est, det operam dominatio Vestra Reverendissima, ut emat navim pro vado, quia damnum quotidie patitur. Timuimus etiam his nundinis de naufragio; tamen laudetur Deus, quod nemo periit. Porro quod dominatio Vestra Reverendissima scripserat circa emptionem quatuor equorum pro domino Theobaldo; sciat, nullos fuisse, et qui erant, viles et macilenti, et inutiles fuerunt. Nam non audent conductores bouum nunc bonos equos huc adducere; quoniam multi spoliantur ab equis a militibus sub praetextu belli huius. Dant nimirum illis iuramentum, ut dicant, quanti ipsi emerint; et tantum illis numerant, et equos accipiunt. Coloni vero isti censum persolvere, ut video, non cogitant; tempus prorogant, et paupertatem obiiciunt. Ego iussi, ut cras omnes conveniant judices et jurati, ad quos verba ad eam rem apta aliquot faciam. Videbo, quid respondebunt. Oppidi nihilominus judex venit ad me, faciens excusationem, non posse exigere praeter duos florenos; et petiit consilium, quid sit facturus, seque velle facere omnia, quae iussero. Respondi, me velle prius admonere eos; deinde quid facto fuerit opus, iussurum. Sed neque judici credo, quia unus est ex illis.

Nova alia non habemus, nisi quod fama sit, quod Turcae ex Strigonia res suas pretiosiores Budam exportant; item quod Julam oppugnant, sed vili milite, exceptis non multis melioris notae limitaneis. Nundinae fuerunt mediocres, bouum tamen tanta copia, quanta nunquam fuit, idque ob metum Turcarum et belli huius. Opto dominationem Vestram Reverendissimam optime valere. Ex Selye 16. Julii 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Antonio Verantio, Epicopo Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae ac Regiae Maiestatis Consiliario etc. Domino meo observandissimo.

Viennae.

LXVIII.

Konicki Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Magnificum Joannen Koniczky Serenissimae Annae Infantis Polonorum Thesaurarium.

Quum ego iampridem operam meam Magnificae dominationi Vestrae non obscure promiscram, quod Balthassarem adolescentem, germanum fratrem suum, qui apud nos putatur esse amissus, quaerendum inveniendumque, quoad eius fieri potuisset, diligentissime essem curaturus; nec desunt mihi bonae fidei quo- 1566. jul. 18.

rundam amicorum communium testimonia, institisse me huic officio non segniter, neque perfunctorie, sed certe summo studio et voluntate, omnes sumptus quoque faciendi, adhibendique labores, si res ita postulasset, ut vel tenui aliqua significatione scisse potuissem, vivitne, an obierit? et si omnino esset adhuc incolumis, ubinam ageret gentium? idque eo potissimum desiderio, ut tanta charitate in utrumque fratrem, in alterum ferme iam amissum, diu iam in alterum maerentem collata, dolorem etiam Magnificae dominationis Vestrae abstersissem, dato ad eam nuncio, inventum esse adolescentem, eundemque vivere, aut saltem desiisse vivere; ut Ipsa quoque sollicitudine huiusmodi ambigna desiisset angi.

Propterea non erat opus (ut arbitror) litteris etiam Sacrae Reginalis Maiestatis Polonorum currenti calcar subiicere, ne tanta Princeps hoc molestiae genere mihi scribendi incommodaretur. Quippe, quae si tantummodo voluntatem suam vel ministrorum opera iussisset ad me de hoc perferendam; aeque me sane obsequentissimum sibi invenisset, ac eiusdem benignissimis litteris intervenientibus.

Sed haud dubie fuit mihi perquam gratissimum, requiri meum a Sacratissima Eius Maiestate officium; daboque operam multo diligentius, ut plane intelligat, hanc suam voluntatem sic a me acceptam, exequutamque fuisse, ut et dignitas, et authoritas illius postulat, ac etiam ut Magnifica dominatio Vestra opinione sua, quum de mea erga se, quod putaverit oportere ad me benignissimas litteras tantae Maiestatis dari, quo mihi persuaderetur diligentius, ut rem, de qua agimus, propensius amplecterer, non fallatur. Quod quidem et Magnifica dominatio Vestra, sicuti

debere fieri iudicavit, consequuta est, et ego iam extra omnem moram aggrediar novum studium, ut et Reginali Maiestati obtemperem, et Magnificae dominationi Vestrae vel hoc saltem conatu, qui a me requiritur, gratificer. Quandoquidem amissi huius adolescentis casus, quo et ego non mediocriter perturbor, eo etiam videtur esse infelicior, si vivat, ignoretur, et si iam obierit, pariter cognosci nequeat; quo magis mirari quoque non desino, quod Magnificus Andreas Balassius, cui commendatus fuerat, et ea quidem nota concreditus, qua nobilium filii etiam apud nos alienae disciplinae subiiciuntur, ne domestica, quae est liberior et indulgentior, abuterentur per licentiam, privarenturque eo profectu ac beneficio, de quo proditus est Horatianus ille versiculus: „Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,“

Sed quid dicam! Vereor equidem non eam illius curam fuisse habitam, quam adolescens, vel ipso genere suo merebatur; quod complures ex nobis, qui huiusmodi filios amicorum ad maturitatem virorum excolendos accipimus, neglectus quidam haberi interdum consuevit. Qui alioqui committi, maxime in externos, non deberet, propter multa, quae nunc non est attigendi locus. Et propterea bene est ante perspiciendum, adolescentes huiusmodi, qui sunt adhuc aetate immatura et rerum imperiti, cuiusmodinam hominum curae, ductuique committi debeant.

Verum de his cum Magnifica dominatione Vestra fusius fortasse egi, quam exigebat; egi tamen propterea, ut uberius fidem mihi adhiberet, me nec hactenus defuisse huic officio, quod a me exposcit, nec deinceps defuturum, curaturumque sedulo, ut quicquid de eodem adolescente fratre suo, sive de vivente

adhuc, sive iam de dudum mortuo intelligere potero, quamprimum et Maiestatem Reginalem, dominam meam clementissimam, et Magnificam dominationem Vestram, amicum meum observandum, edocere non praetermittam.

Ad litterarum autem suarum reliqua non est, quod multis respondeam. Quae quum ad amicitiae nostrae officia pertineant, quae iam inter nos firmissime est constituta (esto, quod nondum mutuo nos de facie cognoverimus), satis erit utrique nostrum, ut ipse hic, istic vero Ipsa, quaecunque alterutrius negotiorum usus postulabit, ea omnia studiose amanterque obire non praetermittemus. Maxime legis etiam eius memores, ut quae absentibus amicis coram praestare nequeamus, eisdem corda non denegemus.

Ad Jachimovium vero nepotem suum quod attinet, ipse quum in dies pleniore iam vestigio ad patrias virtutes pergens, satis affatim sese commendat, loquantur de illo alii. Mihi tamen curae erit, ut quoad utetur meo contubernio et mea disciplina, non negligatur, quum eius incolumitas, tum etiam indoles ad omnia honesta comparata. Nec dubito in optimum etiam ac prudentem virum, si supervixerit, evasurum, testaturumque virtutibus suis, quum in patriam redierit, quod apud eum hominem egerit iuventutem, qui prae multis aliis nationibus et Polonicam semper magni fecit, et Magnificae dominationi Vestrae gratificari plurimum desiderat; Eidemque a domino Deo precatur omnia optima atque felicia. Viennae 18. Julii 1566.

LXIX.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

Salutem et felicitatem. Litteras, quas ad me dedit dominatio Vestra Reverendissima pro Balicza, optime intellexi; sed miratus sum, quod ad binas meas ad Eam scriptas ante, nihil responderit, nisi si redditae adhuc non fuerunt. Florenos 60, quos petiit, misi ad Dalmadinum hodie per nostrum Body, ex pretio vinorum, quia aliunde non habui. Nam illis paucis pecuniis, quae ex vado et thelonio proveniunt, utor ad sustentationem meam et familiae, quae hic est nunc. Nec aliter vivimus hic, quam si Viennae aut Posonii essemus. Censum coloni neque in somnis viderunt, ut conferant, quin etiam ad servitia aegre compelluntur; faciunt tamen utcunque. Vina Reverendissimi domini Strigoniensis iam defecerunt. Coactus sum mittere florenos 100 et decem pro aliis vinis ad Sempte; ubi empti sunt acones primo 40. Pro reliquis hodie misi Martinum Palasthy; quia alium hominem ad talia non habeo; licet intelligam de eo, quid ad me scripserit. Sed aliter fieri nequit, ne vinum deficiat. Emitur autem iam urna florenis 5 denariis 72. Navis vadi iam omnino dissolvitur; nec credo, dominationem Vestram Reverendissimam superius nunc posse emere navem. Sed si erit voluntas Eius, mittam ad Comaron aut Jaurinum talem navem emere; quia quae illhuc dilabuntur, non revertuntur sursum. Vizkelethy venit huc cum tribus equis, et expectat dominationem Vestram Reverendissimam. Reli- 1566. jul. 25.

qua intelliget ex meis prioribus. Nova certiora et citius Viennae audiuntur quam hic; licet toto hesterno die audivimus hucusque bombardarum tonitrua Aiunt oppugnari Vytan et Gesthe. Dictum est etiam, quod Ferthal Bassa in oppugnatione Gywlae pixide occisus est, et copiae eius facta eruptione a nostris omnino profligatae. Quod si verum est, Dominus Deus pugnat pro nobis et Caesare nostro. Opto dominationem Vestram Reverendissimam optime et diu bene valere. Ex Selye 25. Julii 1566.

Frater et servitor
Michael Verantius mp.

Pepones habebimus brevi multos et bonos; sed adhuc non maturescunt, incipiunt tamen. Ad dominum Tranquillum amicum nostrum nil habeo, quod scriberem. Jubeo tamen salvere. Quem quidem rogo, ut adhibitis omnibus coloribus rhetoricis et philosophicis, quibus egregie peritus est, det operam in reditu, ut persuadeat uxori meae, aequo animo velle ferre spatium adhuc huius futurae hiemis. Quod si effectum dabit, tunc vere magnum et rhetorem, et philosophum vocabo.

LXX.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1566. jul. 28. Salutem et omne bonum. Hodie vesperi, quae dies est 28. Julii, accepi litteras dominationis Vestrae Reverendissimae a Blasio Buday missas; ad eas

paucis est respondendum. Quod de emptione nova vinorum scribit; sciat, me in scribendo pretio deceptum esse currente calamo; nam non emimus aconem in Sempte florenis 5 denariis 72.; sed uno floreno et denariis 32; atque utinam tot emere potuissemus eo pretio, quot adhuc opus habemus pro duobus mensibus, sed tantummodo 40 acones habere potuimus cum magna difficultate, qui triduo epoti sunt; tanta est nunc potatorum copia. Et adhuc ad finem Septembris vix sufficient 200 acones. Vina autem non reperiuntur; nam et illa, quae sunt alicubi, omnia pro castris occupata devehuntur, cum litteris et strictis mandatis Regiis. Misi heri ad quaedam loca pro vino, de quo iam conventio pridem facta fuerat; cum currus advenerunt, mutata sententia negata sunt; aegre acones 20 habuimus pretio florenorum 2. Sed quid hoc est? Et aliud etiam est, quod sine parata pecunia moveri cellario non sinuntur. In metu sum, ut nos vina deficiant, tamen quanto cariori pretio ementur, eo carius vendentur. Et iam denariis 8 educilantur. Sufficiet, si quod ebibemus, lucremur; modo vina inveniamus. Illa unica utilitas et commoditas est, quod habeo paratam pecuniam, qua emuntur; proinde si dominatio Vestra Reverendissima officialibus Reverendissimi Strigoniensis partem persolvet; relinquat penes me vel solum florenos 150, quibus vina emi queant. Ego postea dabo operam, ut de die in diem illis fiat satis. Aliter angustiabimur; et consultius erit, ut ex lucro eorum pecunia illis persolvatur, quod hucusque deest. Ceterum dominatio Vestra Reverendissima non arbitretur, me esse tam sinistrum, ut mihi imponi ita crasse permittam, nec a Martino, nec quoquam, praesertim in magnis; parva autem ferenda

sunt temporum gratia, praesertim hoc tempore Sed de his satis.

Quod autem quidam ex Vayuodis his contempserint domini Pograny iuventutem, inique indicant; quoniam profecto, ut ego iam animadverti, senilem habet animum. Et nisi ego eum reprehensissem; aliquoties intellexissent, eum virilem habere animum; praesertim quando unum peditem vi acceperunt. Sed ego moderavi negotium; nam ad arma iam parati erant. Habent enim nunc magnam potestatem, nec ullibi se dicti Vayuodae modestius gesserunt, quam hic; nam ex aliorum bonis aperta vi homines ad remum duxerunt, tam ex nobilium, quam Praelatorum; nam et ex Episcopatu Nitriensi multos vi extraxerunt. Magno comitatu armati incedunt, parati sanguinem effundere omnibus, qui obstant. Hanc a Principe habent potestatem.

Quod reliquum est, dominatio Vestra Reverendissima committat Dalmadino, ut Posonii, si potest, disponat vina aliqua ad 150 acones, quandocunque duobus florenis habere poterit, eo maius luchrum erit. Nuper quidam Kys Peter, apud quem sunt centum aurei in pignore, offerebat sua vina. Aut apud illum, aut apud alium quaepiam quaerat, et significet mihi; ego mittam statim pro illis, quia alibi vix reperientur, licet dabitur per me opera diligens, ut non deficiant vina in cellario. Hoc autem fiat non mature, sed maturissime.

Porro pertransierunt isthac quidam equites; tres scilicet, qui quaerebant stipendia; sed singuli florenos 5 menstruos habere volebant. Ego dare nolui; nam et isti, qui hic sunt, tantundem postea voluissent. Ambrosius etiam, qui fuerat servitor Palasthii prius,

cuius iam mensis elapsus est, noluit florenos 3 accipere ad mensem, sed vult 5. Ego expecto (responsum) a dominatione Vestra Reverendissima.

Isti etiam, qui hic sunt Eius servitores, tam equites quam pedites, iam eos taedet hic sessionis, licet non egeant. Vellent esse iam in castris.

Interim nova de Jula confirmantur. Et dicunt illi, qui ex illis partibus veniunt huc, quod triduo Swendi obsidebit Hathwan. Rustici omnes undique relictis omnibus suis, solum cum uxoribus et liberis, confugerunt ad Wywar, et sunt fere cum mille curribus. Nam eos Turcae ad muniendas arces inducere cogitabant, et primo impetu hostibus obiicere. Infideles ubique sunt in magno metu et confusione; immittat illis Dominus angelum sui timoris. Ex Selye 28. Julii 1566.

frater et servitor
Mich. Verantius mp.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio, Episcopo Agriensi, perpetuo Comiti Hevesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario: Domino meo observandissimo.

Viennae.

LXXI.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

Salutem et omnia bona. Hodie, quae 3. dies est Augusti, advenit Kery. Quas litteras attulit intellexi; 1566. aug. 4.

praesertim quae respondet de vini penuria. Sciat, id ubique locorum sic esse; nam in aliquot locis missa pecunia et facta conventione decepti sumus. Ultimo loco hodie misi florenos 200 pro vinis Thyrnaviam, quae si apportabuntur, spero, quod non deficiemus, et lucrum habebimus, quia octo denariis instam facio iam vendere. Miro modo nunc vina hic ebibuntur; maximum damnum pateremur, si deficerent. Quae autem vina promisit Kys Peter, si bona suut, non essent superflua. Nam huc domesticis equis adveherentur; ut coloni fruges et foenum nunc importent, impossibile est eos cogere.

De summa autem pretii vinorum Reverendissimi domini Strigoniensis, quam scire desiderat; sciat, quod cum illa pecunia, quae adhuc hic in vinis est, ac quam hodie pro vino Thyrnaviam misi, una cum luchro, et quae apud me parata est, puto excedet florenos 600. Vina autem, cito ebibentur, et solvemus. Supplere autem ad integram summam, ignoro, unde id fieri possit, cogitatis omnibus industriis; tamen si quid deerit, paulo post poterimus satisfacere. Quod si aliquo pacto dominatio Vestra Reverendissima hanc summam ad tempus a domino Archiepiscopo mutuare posset, ad praesentem necessitatem commodum esset; quia undique angustiae sunt.

Jubet etiam, ut equites isti solvantur, et novi conducantur; utque pedites retineantur, aurigis pabulum et victualia dentur. Ego nescio, unde haec fieri possint. Praeter vadum et thelonium non habemus, quae utcunque nunc reddunt plusculum. Ex vado vivo cum familia, convivae plena mensa est; curia autem omnino nihil habet sine pecunia, usque ad ova emimus. Thelonei autem totam summam misi ad domina-

tionem Vestram Reverendissimam, exceptis florenis 6 denariis 40, quos Kery pro stipendio duorum equorum inde dedi. Quod autem etiam subsidium pecuniarium petit, libenter, si esset, mitterem; sed non est, quia a colonis ne obolum quidem nunc habebimus. Si tamen tanta necessitas Eam urgeat, accipiat reliquum illorum centum aureorum, qui sunt in pignore apud Kys Peter; sciat tamen, me emisse illos aureos singulos 156 et 158 nummis, et 160; aliud nunc fieri nequit. Dominatio Vestra Reverendissima faciat quod potest; ad impossibile nemo cogitur. De censu colonorum et nona ne cogitet quidem; parati sunt etiam vi resistere; nec verba nec minae prosunt. Ego autem nollem victima fieri pro tam parva summa horum rusticorum, qui fere cruciatam expectant. Nos autem nec decet vi agere ad nova vectigalia; nec possumus, si velimus. Alia via reperienda est suo tempore. Ea mihi ignoscet, si contra opinionem Eius scribo; magna est iniuria eorum, et sunt fortes et parati animis et viribus ad resistendum. Fiet tamen quod fieri poterit.

Ceterum quod attinet ad captivos; intelliget dominatio Vestra Reverendissima, quomodo tenentur, ex ipsius Andreae litteris. Quod si diffidet custodibus illis, ut est diffidendum; aliud consilium dare dominationi Vestrae Reverendissimae ignoro, nisi ut Judicem Posoniensem roget, ut in eius civitatis publico carcere ad tempus custodiri eos permitteret, ubi tutissime teneri possent. Nam vereor, ne adhuc longius differatur eorum redemptio horum disturbiorum gratia. Interim si qui occurrerent Jyazberinienses, memor ero Zabo Thamas nunciandi. Tamen dominatio Vestra Reverendissima scribat Andreae, ut quotidie dormitum in arcem mittat Andream Kezeghmet secundum.

Quod autem foenum eo deferri iubet, id facile fieri posset, si sine damno fieret. Primo totum foenum in tam longo itinere defflueret, et sylvae diriperentur, Secundo, antequam Posonium attingerent, milites acciperent, qui ubique in viis ad hoc excubant. Nec solum de foeno esset timendum, sed et de equis; omnia namque in praedam vertuntur, praesertim rusticorum. Vereor, ut iste kochy tuto cum pabulo et peponibus eo perveniat.

Sed ut tandem finem faciam; dominatio Vestra Reverendissima iubet, ut et conducam milites, et istis persolvam; deinde subventionem pro sumptibus optat. Ego malui suppeditare nunc sumptus dilata causa militum, ne cum illa familia deficere contingeret. Mitto igitur ex proventu thelonei ad hanc diem ab adventu meo huc collecto florenos 45 denarios — sub sigillo. Ex vado autem nuper dedi istis 8 peditibus medium stipendium, florenos scilicet 12; Pograny autem ratione suorum stipendiorum florenos 4; Petro aurigae florenum 1 den. —. Reliquis vivimus, prout dietim possumus, quia magnae sunt expensae; praesertim in carnibus. Fruges ex seminatura importatae sunt, et decima in Hozwffalw; quarta Selyensis adhuc extra est. Sed et foenum importatur. Et de aliis cura agetur.

Misi pepones per Kery bonos numero 51; item alterius generis, angurias scilicet numero 12; item hodie mecz numero 32.

Nova nulla habemus. Et dominationem Vestram Reverendissimam diu bene valere optamus. Ex Selye 4. Augusti 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül : Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio Episcopo Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario etc. Domino meo observandissimo.

Posonii.

LXXII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

Salutem et felicitatem. Haec etiam cura accedat hoc tempore ad alia. Heri miseram sciscitatum ad Wywar de Tartaris; responderunt, esse eorum magnam multitudinem circa Jazberyn, et meditari praedas et ignes usque ad montes istos; tunc etiam expectari, donec isthinc ad castra defluant omnes reliquae copiae cum Caesarea Maiestate. Unde ego nullo pacto hic tuto esse possum; scimus enim, quanta est velocitas illorum barbarorum, quibus neque nulla flumina obstare queant; praesertim nunc, cum Vagus tenui unda fluat. 1566. aug. 15.

Cogitandum est etiam aliud. Quis scit fortunam belli, et quo vergat. Si, quod avertat Deus, aliquid adversi accideret, nemo usque tutus erit; imo etiam in victoriae insolentia. Quia impossibile est, quod non divertat huc etiam aliqua pars exercituum. Tunc neque domus, neque viae erunt sine magno discrimine, ut fit in furoribus bellicis. Hic omnia sunt in horreis; nunc cura nulla est, nisi sola tritura, quam iam disposui. Parvo propterea usui hoc semestri tempore

hic esse possum; maius damnum esset, si quid accideret, quod in proclive est, et quod reparare non possemus. Rogo itaque, ut mihi liceat Posonii vel uno hoc mense esse cum hoc puero; interim rerum status apparebit. Nam nec somnum capere possum. Frustra est elabere, cum undique hostes ingruunt. Expecto a dominatione Vestra Reverendissima gratum et maturum responsum; instat enim periculum, et ignoscat huic meae sollicitudini, non enim in parvo vertitur. Jam quis hic interim futurus est, disquirendum. Equitibus pro uno mense stipendium dedi, et etiam peditibus Turociensibus, Misi etiam hominem ad Twrocz, ut victualia inde disponantur. Mitto pepones numero 37; sed pauci sunt boni, ii erant meliores. Ex Selye 15. Augusti 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio Episcope Agriensi, perpetuo Comiti Hewesiensi et Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario etc. Domino meo observandissimo.

Posonii.

LXXIII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1866, aug. 17. Salutem et felicitatem. Equites et pedites, quos habuimus, expedivi. Solutio peditum, quos coloni dant,

magna cum difficultate exigitur, non sine captivitate judicum, prout a Pogranio intelliget. Summa sunt homines contumacia. Acervi satis bono loco sunt extructi, nec alibi starent melius; tamen puto, quod non diu ibi permanebunt, cum ad multa tritico opus erit. Feria quinta proxime praeterita transivit isthac Magnificus dominus Stephanus Dobo cum suis gentibus, et dormivit in Dyaky. Obtuli ei domum hanc; sed parcere volens huic loco, illhuc se contulit. Tamen cum ibi non haberet bonum vinum, misi ei dono vinum uno cellario lagenario. Egit gratias, nam et pisces feria 6. ad prandium misi; et se commendat dominationi Vestrae Reverendissimae. Hodie expecto hic Reverendissimum dominum Transsilvaniensem; nam et Sua Reverendissima dominatio hac ad Owar transibit, et ut potero, melius excipiam. Heri vesperi venerat huc etiam Magnificus dominus Stephanus Dersffy, qui properabat ad Caesaream Maiestatem cum duobus kochy. Illi quoque misi pisces, panes, vinum, pepones et avenam. Egit gratias, et se dominationi Vestrae Reverendissimae commendat. Petii decem peditos Turocienses pro dominatione Vestra Reverendissima; detulit rem integram ad dominationem Vestram Reverendissimam. Quare dabit operam, ut eos secum habere possit; puto non negabit. Opto dominationem Vestram Reverendissimam optime et diu bene valere. Ex Selye 17. Augusti 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül: Ad manus proprias Reverendissimi domini Episcopi Agriensis.

LXXIV.

Verancsics Antalnak Grosutto Antal.

1566. aug. 21. Illustre et Reverendissimo Monsignor mio osservandissimo. Poi che le corti si sono ritirate, a basso noi non intendi, se non lamenti quasi de le nostre donne, quali temendo, che li mariti non morino in campo, ne rompane il ceruelo permesse di buon ventura, si accora de li soldati ventureri, quali rituornando dal campo si duogliono, che non si posso scuoter la fame. Per mia fè, che se Vostra Signoria Reverendissima, quale è il mio unico patron, non fosse a casa sua, gli tenerei gran conpassione, che la non morisse di fame in quello essercito, ma senza passione non sto, che per sua innata cortisia, volendo sodisfar alli bisogni de chi, se gli raccommanderà Vostra Signoria Reverendissima, doversi dela compagnia di Madrusa. Il quale facendo professione di lassar l' ambitione insieme con la corte, certo tanto è diventato leggiadro, sottille, et spirituale, ch' io temo, o che uscissa di cervelo, o faccia qualche mirabil novità; è al verde veramente non trova più chi incantar, ne con prieghi, ne lassa la sua corte.

In secreto, se Vostra Signoria Reverendissima intendessa, che Soa Santita havesse in comincio a rivocare la concessione del uso del calice, non si maravigla molto, ma s' allegri, che se si ritira, questo non s' andera piu oltra. Nel resto, e buone persuasioni l' inducono, che s' io fusse accosto ad un orechio

di Vostra Signoria Reverendissima, che gran nuovacita gli direi. Ma poi che alla guerra siamo; voi con arme, et noi con orationi attendiamo a questa hora, et se quella non è stata indovina questa volta de la presenza del Turco al essercito, non si turbi, perche l' astrologia vera non voleva, chel venisse, come speriamo, si dimostrerà in effetto chi violenta il celo pigliassi percossa. Fra facil cosa, che il prossimo sabbato habbiasse l' essercito intiero, che li Ferraresi corrono a tutta briglia. È opinione in Roma, che questa guerra non sera perfetta, se qualche delfino non sopragionge. Si dice, che l' armata Turchesia si spalma sopra Lesina ventura fu la mia, che non hebbi quel vescovato promesso a tanti. Prego Vostra Signoria Reverendissima, si guardi dal male di le fritze, perche quest' autunno minaccia, che non syno buone. E noi pregaremo, che 'l Signor Dio vi manterighi sani. Vienna il 21. del Agosto (15.)66.

Di Vostra Signoria Reverendissima

fr. Antonio Grosutto mp.

LXXV.

Verancsics Antalnak Grosutto Antal.

Illustre et osservandissime patrone. Non per dar nova a Vostra Signoria scrivo, perche il Reverendissimo Seminulla, tenente di Modrusa le narrera, sono le carotte, quali ne mandate dal campo, e sono 1566. sept. 22.

ben formate, poi che non haver che far altro, e piaccia al Signor Dio, che sia carotta. Anchor il pronostico, che si fa d' Agria accio non si dicesse, che è per la superstitione di Vostra Signoria, che non ha voluto celebrar le primitie fuori de la, a guisa che una gran donna (non dico di palazzo) del palazzo, la quale veggendo la corte lagrimosa per la perdita di Jula et Sighetto disse, eh ch' io mello divisava bene prima, poi che sto palazzo si governa solo per astrologia. Et in vero io non sò, che si voglia dire, che le columbe Vostre se ne stanno tanto manincoliche, et doi ovi ch' haveanno fatto, s' hanno magnato li rati, e non si puo conprendere de donde syno intrati. Con il Signor Cesare d' Evoli potra Vostra Signoria strologar cioche presaghino, pregamo a Vostra Signoria ogni bene. Vienna il 22. del Settembrio (15)66.

Di Vostra Signoria Reverendissima

fr. Antonio Grosutto mp.

Rilegéndo la lettera m' aveggo, ch' io ho tralasciato il principal titulo di Vostra Signoria, cioe il Reverendissimo; et è stato, perche se mi rappresenta hora tutto armato in vece di Conte, non di Vescovo. Pardoni a la trascuragione mia. Per cosa non ho piu carta hora.

Kivül: Illustri et Reverendissimo domino Episcopo Agriensi, domino et patrono suo observandissimo.

LXXVI.

Grosutto Antalnak Verancsics Antal.

Ad Reverendum patrem Magistrum Antonium Grossutum.

Molto tempo è, che ho imparato quel proverbio, 1566. oct. 8.
che 'l' avaro spende vice piu, et il pigro fa camino, che il liberale et sacente, esser usitatissimo à tutte le nationi, si come hora à me è accaduto nel rispondere ad una Vostra. A la quale mentre differisco à dar raguaglio, mi sopragiunge l' altra per il monsignor Modrussa. Et tuttedue tanto piacevoli et piene di misteriose metaphore, che meritavano la risposta piu diligente et piu sottile, che il mio ingegno possa. Ma perche la cortesia Vostra verso di me sempre fù tale, che cosi fatti mancamenti miei non castighera giamai con la pena capitale, sarà contenta perdonarmi anchora questo.

Però le Vostre donne, che sono lasciate da loro mariti per la presente guerra, parmi, che si lamentino à torto, essendo sempre ne' loro potere di smaltire tutti gli avanzi de le mercantie loro, ò habbiano li suoi mariti appresso, o di lontano, come lo sanno ben quelli, che con esse fanno li traphichi di legno santo et di mercurio.

De li soldati venturieri, che ritornino à le loro rive da questo campo, non sò, che vi debbia dire. Ma certamente è da meravigliarsi, che tutto il resto de

le genti, che qui sono, spoglino il tutto per li contorni de poveri nostri contadini, à cio nescium trattenimento de le vittuaglie trovino i nemici, se venissero. Cosa però, che non faranno, fino che si impadronischino di tutto il restante di questo nostro paese à loro piacere, per non haver contrasto da nasciuna parte, li venturieri non si sappiano prevalere de li granfi, et de le ratte loro, salvo se fossero da Catholici per convertir à miglior fede le infinite turme di heretici, che qui adesso sono concorsi; non sò, se a dar le pene, ò per riconoscersi. Il che pur adesso dovrebbono fare parte per li danni, puoco fà da li Turchi ricevuti; parte per il fuoco d' altro giorno, che fù prodigioso, et abrugiò tutta questa città di Jaurino, et parte del campo nostro Ongaro, del quale liberamente potemo dire con il Propheta : „Exarsit ignis in sinagoga haereticorum, flamma combussit peccatores.“

Io per insino à qui stò assai commodamente, ò sia in casa mia, ò di fuori; et penso, che se adesso da vero fussi in casa mia, starci piu sollecito, che qui sono.

Ne trà questo mezo aiutando tutti li bisognosi, li quali mi si riccommandino, e d' havermi compassione, che non rieschi de la compagnia del Modrussa nostro, insino a tanto, che io possa dare. Et lui essendo già pervenuto al verde, come dite, credo che hormai è arivato al fine dele sue ambitioni, poi che passati i secchi de li bisogni, che per adietro lo premevano, adesso andando a Roma con reputatione di certi nuovi favori di Soa Santità nostro Signore, et maneggi de la Maestà Cesarea, pare, che la sua verdura gli apporterà frutti di luce, di honore, et di facultà, et faccilo il Signore, acio li ci possiamo congratulare, et

vedere, che tanti suoi prothei alfine sieno stati redutti, et fermati ne l' uno desiato.

Ne del voler, che ha Soa Santità, di rivocare l' uso heretico del calice in pristinum Catholicum, mi meraviglio, anzi summamente mi rallegro, et Signor Dio havesse voluto, che la Santità del passato nostro Signore fusse stata di mente del presente sopra di ciò. Et penso vi raccordate, che piu volte vi hò ragionato, che con le santissimi dogmi, et con le lodatissime traditioni Catholiche, non si lasciassero al giuoco d' huomini senza spirito, et che curano le private cosene pensino più de le Divine, che tanto, quanto faccino al profitto de le ambitioni et graudezze loro. Ne è bisogno, che la mia orecchia vi fusse adesso piu appresso. Sò, quello vorreste dirmi de le novaccie di alcuni, de quali, quando semo insieme, spesso ragioniamo. Ma Iddio pardoni à tutti diagli miglior spirito; cessentque professionem Catholicam cum haeretica iuxta habere; nec gestent pallium hypocrisis à danni de la Santa Chiesa d' Iddio, et al suo puoco honore, et menor giovamento.

De la presenza de Turco, ho gia creduto, benche qui si ragiona in dui modi; chi ch' e partito per Constantinopoli, et chi ch' egli e morto. Di che noi ci rallegramo et pensamo, non sò che, se la stagion del tempo ne servirà. Pure Iddio Signore ci liberi dal suo flagello. Perche noi non siamo bastanti contra la sua mano con le nostre tanto impure. Et perche esso nostro nemico violenta i cieli, diagli Signor Dio la percossa, et castighi anchora quelli, che hanno dato causa, si come à tante sue vittorie, cosi anchora à li nostri danni.

Di che Delfino m' havete scritto, non capisco à

sufficienza. Ma qui siamo persuasi, che il nostro e partito da Roma, et viene à rivedere noi altri suoi servidori. Signor Iddio gli dia buon viaggio, et lo conduchi salvo.

Le gallere Turchesche, spalmate in Lesina, tentata l' isola de tremidi, et fatto paura à Ragusei, et à certi luoghi Venetiani, dicesi, che erano tornate à li suoi mari; ma hora si hà fresca nuova, che tornino per castigare gli Albanesi. Cosa, ch' io non credo; perche non e piu da trescare co 'l mare, et l' asprezza dela Cimera vuole altri ucelli, che quelli, volano per le onde.

Del vescovato promesso à tanti, e tanti insino à questo tempo, quando intesi, assai mi meravigliai, perche la persona Vostra merita molto maggiore, e tale, che per luoco anchora le fusse stato al proposito. Lasciatelo dunque andare, et preghiamo Dio per la vita longa de la Santita del presente nostro Signore. Ne dubitamo, che harra presto cura di Voi. Benche posso ben mervigliarmi, che fin' a questo tempo non l' habbia havuta, per esser tutti mortali, et meritando la servitù Vostra, quale da tanti anni fate à la Santa Chiesa, sine improperatione tardioris remunerationis.

De le frezze non hò paura, perche tengo buon riparo à la sicurtà mia, che nesciuno di questi, con quali siamo venuti à questi frontiere, tiene conto di andar tentare il suo signore. Pure Voi, Padre mio Reverendo, non tralasciate di pregare per noi. Perche veramente havendo noi di qua posposto la invocatione di Maria, et gridiamo Giesu à meza bocca, et con lingua molto languida; considerate, quanto saremo bastandi à pregare per noi stessi. Ma Dio volesse,

che prima havessimo cura del Regno suo, et poi ci armassi contra questo tiranno et inimico commune de la gente et fede nostra, sentendo et dicendo tutti il medesimo nela professione Catholica. Et questo habbiate à la Vostra prima.

À l' ultima, vorrei molto prontamente, di potervi dare il desiderato raguaglio, ma essendo tanto misteriose, che di gran lunga passino l' altre, penso far meglio, se le risponderò in brevità. Ne bisogna parlare de le carote del' amico, ma ben conoscer quelle, et schifare l' assagio di esse. Et se cosi fatte vi andiamo costa da questo campo; dovreste contentarvi de la sentenza comica, quando facciamo, quello potemo, non potendo, quanto vorriamo.

Ne del pronostico d' Agria dubitate punto, se il presente suo maggiordomo l' harrà in cura piu à lungo. Il quale non emendato per il caso di Giula et di Ziget, dale heresie et impietà horrendissime, de quali tenevano professione i loro tutelari, corre à tutta briglia di fare il peggio, et di acrescere il sdegno d' Iddio contro à danni di quella Chiesa.

Scrivono di li i miei, che havendo la occasione di estinguervi il culto Divino, non solamente ha empiuto la detta Chiesa de diverse sorti de vittuaglie et munitioni, ma rovinati appresso gli altari, tagliate in pezzi le imagini de loro, destrutti i libri de graduali et antiphonari con gli altri insieme, rubati anchora i vessilli et li picchi de le campane, ha etiamdio escluso tutti gli preti dal santo choro, et vietato, che ne anche venghino à vedere tanto obrobrio del sacro tempio di Dio, et de la casa di oratione. Aggiuntovi appresso biastemme, et inauditi scorni contro à la messa, ch' ella puzzasse di maniera, che non volesse

esser frequentata che fusse, che fusse castrata per certe cagioni, che non si potrebbono mentovare, et al fine, ch' ella fusse incatenata, ne le restasse altro, che la sentenza de l' ultimo suplicio.

Per tanto vediate, padre mio, come la matematica di alcuni non debbia riuscire al suo effetto. Quando gia Tokai anchora è assediato dal Transsilvano, in compagnia de Turchi et di Tartari. Lo quale conservi Iddio. Ma se li accaderà caso alcuno, series vexabit Agriam et Cassoviam, et vi si haveranno nuovi travagli, questi de qua non ben anchor' assettati.

La superstitione di voler celebrare le mie primitia ne la mia chiesa, non è supertitione, ma devotione da li nostri padri à noi emanata et scesa. Pure io in buona parte accetto questo passo de la Vostra satiretta, con promessa di contentar subito li sollecitatori miei di questo mio debito, che sarò al ritorno da l' intrico di questa guerra.

Ma di quella donna lagrimosa, non di palazzo, da palazzo, veramente non intendo niente; salvo se qualcuno si facesse matematico, et non fusse; cosa, che accade spesso à li vantatori. Et di ciò mi rimetto.

De li colombi miei, tanto manincolici, et de le uova loro mangate da li ratti, è un stroligare molto difficile. Penso però, che vi sodisfaro, se dirò, che disperate de la gratitudine di coloro, ali quali soglio fare di appiaceri. Ma sia quello, che vogliate, pur che li mali ratti del Solimano non ci ingombrino il nido d' Agria, et le uove sue.

Di haver tralasciato il titolo mio del Reverendissimo et del' armato vescovo in vece di conte, saria da dire, se io fussi fatto miles gloriosus; ma et voi havete buon tempo, giudicando dal porto il corso de

le navi d' altrui, nel' alto mare. Et io che con questi nostri altri monsignori siamo venuti in qua, non per spander sangue de mortali, ma che salviamo il nostro gia imbianchito et raffredato per la strenuità, che dimostrassimo questi di passati sotto Alba Regale; non restamo però di tenere il modo, lasciando i fatti, chi di noi meglio sono armati, et basti, che ancho le nostre arme si veggono nel tropheo sotto li nostri padiglioni, non sopra noi, quali puochi mesi fa, facessimo la confessione, non per morir in guerva à cavallo, ma nele case et nostri letti.

Il che Signor Iddio ne concieda, et Voi salutate da parte mia il Signor Cesare di euoli, se sarà costa, perche anchora qui non l'ho veduto. Et quando verrà per appiacer Vostro et contento mio, stroligherò molto volontiere con essolui, di quanto mi havete ricercato. È singolare et virtuoso, et nobilissimo gentil' huomo, e tanto piu gli sono affettionato, quanto è instruttissimo de li miei, et de la casa mia.

Ne al presente vi scrivo novelle, perche dopo molt' altri, forse la nostra etiamdio compagnia si sbanderà, et di curto saremo insieme, ove ragionaremo à nostro piacere. Et se mi dimandate, che animo hò di ritornare da questo mare? — sappiate, che homai vorrei esser con Voi, per non aspettare qui il resto dei flagelli di Dio, dopo quelli di spada et di fuoco. State sano. Dal campo Cesareo sotto Jaurino ali 8. di Ottobre del 1566.

LXXVII.

Testvérének Mihálynak Veranesics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

1566. oct. 14. Ad binas litteras vestras 23. Septembris et 2. Octobris datas serius respondeo propter angorem animi, quo maxime turbor ob statum praesentium rerum huius Regni minime laetum, et tam tristem, quam prope iam deploratum; nisi adhuc aliquam Deus misericordiam nobis reservaverit, velitque ultimis aerumnis atque angustiis nostris miraculose succurrere, ut qui solus sit qui percutit, et sanat, deducitque ad inferos, et reducit, necnon humiliat et sublevat.

Giula enim ac Zigeto cum XII Comitatibus, qui tertiam ferme partem reliquiarum huius Regni complebant, erantque nostrae potestatis, amisso, depopulatoque ex hac parte Danubii, respiciente Noricum, toto eo tractu, qui ab arce Babocia ad Papam usque, in superioribus vero partibus, quicquid amnes Zagyva, Beregh, Hernandusque, et Muranienses saltus silvaeque includunt, supra LXXX millia animarum (uti nunc loquimur) in captivitatem abegerunt; nobis autem etiam nunc in his castris ad Jaurinum positis, inaniter tempus terentibus, et nescio, quas opportunitates expectantibus, quas vix iam ingruente hyeme, tot incommoditatibus comitata, nobis concedent. In dies interim omni genere militum ex his castris dilabente, iam Joannis quoque filius cum Transsylvanorum circiter V, Turcarum vero et Tartarorum

XXIIII millibus arcem Tokay obsedisse dicitur. Quae quanto praesidio instructa sit, non credo admodum sufficienti, ac necessario. Sed quum Lazarus etiam Sfenda aegrotet Cassoviae, et vix habeat apud sua signa IIII millia Germanorum, Hungarorumque nostrorum simul; videatis, quam sit suffecturus, et arci Tokaynae succurrere, et inibi tueri reliqua. Unde quantum metuam etiam Agriae et civitatibus illis liberis, ac Gabrieli Perennio, consideretis.

Quare merito, et istic omnium (uti scribitis) animi conciderunt, et maeror, tristitia, timorque universos occupavit. Quia in toto etiam Regno nulli mortales sunt nostri generis, qui non a spe et a fiducia, ad quam initio expeditionis huius erecti fuerant, iam adesse tempus resurgendi a tot malis, exciderint. Nec tamen ulla succurrit ratio cuiuspiam remedii, nisi deiecto capite spirituque Deo commendato, casum atque interitum expectare, quicunque et undecunque ille inferatur. Haec ad priores vestras succinctius, paulo post prolixius, aut cum cornucopia, quando una fuerimus.

Vos tamen interim diligentius attendatis ad obsidionem Tokaynam; quae si (quod evertat Deus) cesserit hostibus prosperior, metuendum erit mox et civitatibus illis Cassoviae, Eperiessio, Barthvae, Cibino, Leucioviae, ac Sepusso, et consequentibus Comitatibus ad Turocium nostrum, in pedemontanis Carpati sitis. Ideo tempestive hoc casu et Petrum, et captivos nostros Posonium curabitis deducendos, si forte hic me diutius trahere moram contingeret.

De excessu Nicolai Zriny honoratissimo, deque Ladislai Kerecseny deditione turpissima, Giulaeque et Zigeti obsidione, oppugnationeque potentissima, paulo

post, quum rei totius perspectius successum fuero assequutus, scribam ad vos solita mea diligentia.

Ceterum ne hoc quoque ignoretis, allatum est ad castra, Lazarum Sfendam potitum fuisse arce Zardvaar, quae Emerico Bebeccho unica fuerat facta reliqua; ipse vero ad Joannis filium, ad Turcasque profectus adhuc fuerat tempore, coniuge quoque illi relicta, cui Zard cessisset. Et ita eam etiam dicunt in potestatem venisse Sfendae. Sic adhuc mirabili modo Regni huius fortuna agitatur, totque in locis premitur, ut putem, hoc tandem tempore, aut omnino collapsuram, aut rara quadam Dei providentia novum quendam ortum sibi facturam. Faxitque Altissimus, ut deficiente virtute nostra, Divinam sentiamus, et resurgamus. Bene valete. Ex castris Caesareis ad Jaurinum positis 14. Octobris 1566.

LXXVIII.

Verancsics Antalnak testvére Verancsics Mihály.

1566. oct. 26. Salutem et omne bonum. Heri accepi litteras dominationis Vestrae Reverendissimae per Blasium datas, in quibus aperte intellexi magnum animi angorem et cordis dolorem, ex rebus huius temporis deploratis. Domine Reverendissime; quid opus est angi et cruciari in rebus a Deo mirabili mysterio ordinatis? Putatne Deum suam Ecclesiam deseruisse ideo, quod hostos exultent? Minime; sed mortificat, ut vivificet. Qui namque negligunt eius mandata in libertate

Christiana; complent ea in captivitate Turcica : adeo ut doceantur etiam inimicos diligere, ut vi tracti salventur. Turcae crescunt in numero, non in merito; nos non in numero, sed in merito, sicut stellae coeli et arena maris. Nulla secta tamdiu, cum tanta astutia diaboli, duravit, ut ista; nec ulla tam copiose coelum replet, sicut ista. Nam astutiae daemonis semper Divina sapientia in suam perniciem retortae sunt.

Proinde dominatio Vestra Reverendissima accipiat res, ut accidunt; accommodet se Dei voluntati, nec tamquam terrena solum sapiat; sed miretur Dei iudicia; cuncta nihilominus ad fidelium salutem faciat, et dicat, ut fiat eius voluntas. Ea iam aetate sumus, ut diu vivere nequeamus; et terrena cogitamus? Absit; sed semper parati simus ire ad Dominum. Sit terra vel tota infidelium; nos aliam civitatem habemus, Sanctam Hierusalem.

Sed de iis satis, et multo plura, quam mihi competat ad Episcopum.

Ubi autem Turocio suo timere videatur; puto, frustra timeri hoc anno; neque adhuc eo processerunt hostes, nec processuri sunt iam instante hieme. Aiunt, eos esse occupatos in obsidione castri Thokay una cum Transsylvano, quem narrant esse deploratissimae valetudinis ex morbo colicho. Si quid autem periculi intellexero, admonebo Petrum, ut recurrat huc. Certe mallem, ut illi captivi essent hic, quam ibi, et non deest locus ad custodiam in tam munita civitate; quia sunt in manibus hominum pauperum.

De arce Zardurat recepta nulla talia nova habemus; quam aiunt inexpugnabilem, nisi sola proditione, quoad nos dico.

Fracassum habeo, ut iubet dominatio Vestra Reverendissima, qui iam convaluit, et vestivit se rubea

carisia; de pellicia vulpina curabo, si fieri poterit; sed quotidiani sumptus hic me exhauriunt. Vestivi istos duos pueros, qui nudi erant. Et ego indigerem nonnullis, sed tempus expecto, et transeo, ut melius possim.

Fructus praeter nuces nulli omnino sunt. Semellas mittere saepius curabimus. Pocula tamen duo christallina misimus. Bullae aureae nec habui, nec habeo copiam. Et profecto esset nunc commodum inquirere de illis vineis. Sed pereunte Regno, pereunt et omnia alia.

Porro Leo et Martellus bene valent.

Interim accersitis equis meis visitabo Selye, et videbo seminaturam et alia; mox redibo, si adhuc timendum fuerit; verum si fluvius ille intumuerit, ero diutior ibi. Eget enim cura locus ille; vita tamen hominis pluris est, atque adeo propinqui. Dominatio Vestra Reverendissima curam habeat valetudinis, ut in tali loco ante omnia frigus non admittat autumnale, nec aerem, si fieri poterit; nocent haec inexpertis. Et certe satius esset, ut Praelati cum suis sacerdotibus instarent potius orationibus et sacrificiis in suis ecclesiis, quam in castris desides et inutiles; oratio namque gladio fortior est. Dominatio Vestra Reverendissima diu bene valeat una cum omnibus suis. Ex Posonio 26. Octobris 1566.

Michael Verantius mp.
frater et servitor.

Kívül: Reverendissimo Domino, domino Anthonio Verantio, Episcopo Agriensi, Perpetuo Comiti Hewesiensi ac Borsodiensi, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliario etc.

Domino meo observandissimo.
In castris.

LXXIX.

Maximilián királynak Verancsics Antal.

Ad Sacram Caesaream Maiestatem.

De calamitatibus Ecclesiae et Cleri Agriensis.

Litteras Capituli mei Agriensis de calamitatibus suis sane iam extremis et diutius vix toleratu possibilibus, quas ad me recens dedit, Sacrae Caesareae Maiestati Vestrae, in hoc suplici meo libello descriptas humillime exhibeo, ut clementer videat, quo et quam misero statu ea nunc Ecclesia gubernatur. 1566. dec. 27.

Nec video rationem, cur velim, aut debeam longiore oratione tam horrendam prophanationem ipsius meae Ecclesiae Agriensis, ministrorumque illius, ac meam, et Catholicae, religionis oppressionem apud Caesaream Maiestatem Vestram exaggerare, postquam a triennio iam assidue queror et supplico, nec tamen exaudior, putemque nunquam illum Ministrum Maiestatis Vestrae Caesareae tanta fuisse ausurum, nisi inde et andaciam et licentiam usurpasset, unde tamdiu sustinetur, dudumque cohiberi debuisset; ut, qui et in Divina vim suam sacrilegam extenderit, et diploma defunctae Maiestatis Caesareae, optimi et sanctissimi Principis, temerare, violareque praesumpserit.

Quare quum haec res sic sese habeat, omnisque eius potestas in manu Vestrae Caesareae Maiestatis est, ne fiant huiusmodi, eiusdem benignitati omnia committo; humillime supplicans, dignetur, ut Impe-

rator optimus et maximus, immo et quo tanta etiam Christianitas allevari sperat, sic eidem Ecclesiae meae iam a Magochy conculcatae, adesse auxilio, ut malum eius longius non procedat, et Divinus cultus in eam restituatur, clementerque et hae sequentes litterae fratrum meorum intelligantur, et mihi, ipsisque simul gratiosum responsum detur.

Mellékl: Reverendissime Domine etc. Quamquam summa observantia, et obedientia debita, ac fidelitas hortabatur nos, ut tandem aliquando litteras nostras ad Eam de variis oppressionibus nostris, et de violentia rerum nostrarum, ac etiam de religionis cultusque Divini sublato ministerio daremus; tamen frequentes Tartarorum excursiones, depopulationes, caedes, incendia, ac demum instantis vindemiae cura, et servitii nostri pensum remoraverunt, inque diem praesentem reiecerunt.

Nunc igitur aliquanto liberiores facti, et omissa loci huius ancipiti fortuna, rerumque nostrarum direptione, et de sacris locis plus quam ethnice prophanatis, extinctoque Divino cultu, quod solum facere possumus, lamentamur. Quum in hoc populo non sit, qui vicem cultus Divini accendat, doleat, sive curet; tantus est hominum aversorum stupor, immo impietas, quasi nullus esset Deus, qui ab hominibus in illum finem conditis, iam coli velit. Erepta et clausa sunt hic templa Domino dicata; sacrificii pro humano genere peracti celebratio interdicta; laudum Divinarum continuatio intercepta, sacramentorum canonica administratio sublata; campanae mutilae et mutae redditae; altaria in ecclesia cathedrali et Sancti Michaelis perfracta; reliquiae altarium extantium effossae;

imagines Crucifixi, Beatae Virginis et Sancti Joannis in summo altari ferro vulneratae; libri Ecclesiae dilacerati et disiecti; vexillum furto ablatum; suggestus concionatorius, locus fontis, et aquae benedictae lapis excisus, confractusque, et disiectus in ingressu templi; insigne quoque Reverendissimae dominationis Vestrae ex cathedra sua derasum; consistorium Capitulare clausum; breviter unius cervicosi amentia et perfidia adeo sunt omnia perturbata, deformata et destructa, ut iam hic populus non habeat, quo se Christianum iactet, nisi verba vana. Pii Catholici odio habentur, et damnis ex levi etiam ac iniqua occasione vexantur, et tota adversariorum tragoedia in paucis sacerdotibus, Reverendissimae dominationis Vestrae capellanis terminatur. Quos (Deum immortalem) et quot excogitatis commentis, et compositis rumoribus ac terroribus, fugare tentaverunt, ut suae nequissimae persuasionis fraudes et rapinae melius procederent.

Sed quum iam vident terraculamentis non proficere, et hostem retrocessisse ab oppugnatione arcis Thokay, dilapsum ab Giula exercitum; iam sunt quietiores, et praesertim antesignanus ipsorum, qui vina sacerdotum vindemiata velle se eis refundere, si quis vilia pro generosis accipere velit, praedicat. Nam in specie, sive eadem, quot de nostris vineis collegit, nec dat, nec offert; modos tamen quaerit, quibus iniurias et damna sacerdotibus illata integrare possit. Verum interim fiunt ista, Reverendissime domine, et in templum Domini, et in Capitulum Reverendissimae dominationis Vestrae; quia non est fides in hominibus; alias non laboraremus. Et talia non sustinentes, omnem spem nostram et expectationem in Eius patrocinio collocavimus, per quod etiam (Deo Omnipo-

tente adiuvante) liberari postulamus. Agriae VI. Novembris 1566.

Copia trium articulorum transactionis cum Episcopo Agriensi factae, qui domino etiam Magochy ad observandum iniuncti sunt, nec eos tamen adhuc vel in parte observavit.

3. Imprimis autem cautum esse volumus, ne ullo pacto in ecclesiastica et spiritualia negotia, religionem, ritus ac ceremonias se ingerat; sed eas partes tanquam a se longe alienas iis relinquat, quibus ex officio et cura incumbit. Ipse defensioni tantum et custodiae Agriae, reique militari, ac gubernationi sibi commissae sit intentus, intraque sui muneris metas se contineat.

4. Notum itaque esse volumus Magochio, nos omnimodam jurisdictionem spiritualem et ecclesiasticam cum jure Patronatus, sicuti iam antea a nobis donatam habuit, Reverendissimo fideli nobis dilecto Antonio Verantio Episcopo Agriensi, super omnia bona ecclesiastica, ac bona et jura possessionaria dicti Episcopatus Agriensis, integram eidem reliquisse. Volumus igitur, ne Praefectus noster vel donationibus, vel libertationibus, vel relaxationibus, vel similibus aliis quibuslibet titulis, praedicta bona et jura ecclesiastica distrahat in illius et Ecclesiae suae praeiudicium.

13. Commissam sibi praeterea putet Magochius defensionem Episcopi et totius Cleri Agriensis per totam Dioecesim Agriensem, ac religionis Catholicae, juriumque et bonorum possessionariorum eiusdem Episcopi et Capituli; edictumque itidem, ne in oppido

ipso Agriensi, neve in pagis totius vallis Agriensis, villisque Agriae contiguis, in quantum id fieri poterit, concionatores et magistros scholarum haereticos teneri foverique patiatur, neve statum Agriensem, quam receperit, deteriorem faciat, sed potius meliorem reddendum curet.

Porrectus est hic libellus 27. decembris 1566.

LXXX.

Oláh Miklós esztergami érseknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Strigoniensem.

Miras novitates exitus anni proximi 1565. (így) attulit nobis; primum enim ad subitas mortes Summi Pontificis; deinde trium Supremorum Cancellariorum Bohemiae, Archiducumque Ferdinandi et Caroli supervenit, et de Cardinalis Delphini obitu non infrequens, quamquam nondum etiam certus rumor. Ceterum ne minorum hominum casus maiorum non comitarentur praecipitia, noster quoque frater Augustinus Lelesziensis Praepositus heri circiter noctem hora quinta epilepsia ictus repente est exanimatus, et sepultus hodie. Ego similiter correptus die insequenti natalem Domini, inflammatione renum, nunquam alias simili cognita, adeo viribus corporis redditus sum impotens, ut pedum etiam destitutus officio lectum assidue urgere cogar. Idque solum causae de insperato mihi accidit quod hactenus me hinc recipere 1566. dec. 28.

nequiverim. De his autem, quae Summus Pontifex dicitur egisse in extremo excessu suo, Reverendissimae et Illustrissimae dominationi Vestrae inclusae litterae Roma allatae declarabunt. Reliquum est, precor Eidem annum hunc novum felicissimum, et incolumitatem quam diutissimam. Viennae 28. Decembris 1566.

LXXXI.

Cromer Márton ermelandi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Martinum Cromerum.

1566, dec. 31. Misi Reverendae dominationi Vestrae litteras domini Zagrabiensis, qui quoniam pestis grassatur Zagrabiae, penitius dicitur in Croatiam recessisse. Idque erit in causa, si haedem litterae serius redditae et mihi et dominationi Vestrae Reverendae fuerint.

Ego posteaquam rescripsi ad Suas, quas ad me dederat Cracovia Septembri 28., nihil omnino ab Eadem litterarum accepi. Cogitoque interdum aut easdem litteras meas intercidisse, aut Eandem tam longe a Cracoviensi urbe discessisse, ut serius etiam nomina nostra ad Eam pervenire possint. Et sane cupio mirifice aliquid iam tandem intelligere tam de statu, quam etiam de incolumitate Sua. Hinc autem quod nunc ad Reverendam dominationem Vestram novarum rerum scribere possim, non admodum occurrunt multa, sed insignia. Sublato enim ex hac vita Summo Pontifice Pio IIII.; tres quoque Cancellarii Bohemiae,

Archiducumque Ferdinandi et Caroli, clementissimorum nostrorum Principum, dignissimi viri, Joachimus de Nova Domo, Erasmus Haydenreich, et Leonhardus Pylerus, uno atque eodem ferme tempore, et subitis casibus decesserunt. Habemus rumores et de Cardinale Delphino interfecto; sed incertis authoribus, ideo nondum est eis creditum. Nos ad kalendas Februarii Comitia Posonii habebimus. Nec nunc occurrens aliud, Reverendae dominationi Vestrae precor hoc novo anno omnia felicia, incolumitatemque quam diutissimam. Viennae ultima Decembris 1566.

LXXXII.

Maximilián királynak Verancsics Antal.

Humillima opinio Agriensis de officiis distribuendis.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, Domine domine clementissime. Difficile est, hac penuria virorum in Hungaria, statuere, quinam ex iis Magnatibus, qui nunc supersunt, primum in Supremum Capitaneum Cis-Danubialem; deinde in Judicem Curiae Regiae; postremo in Magistrum Tavernicorum, in Capitaneum et Comitem Comaromiensem assumi et idonei haberi possent. Nam quum alios graves aegritudines reddunt imbecilles, alios aetas iuvenilis non admittit, pluresque intenti studio et sollicitudine rei familiaris ac privatae curam Reipublicae aversantur; vix ulla certa ratione ac secure de hoc delectu pronunciare queo. 1566. végén.

Verum necessitati inserviendo, dominum Comitem Ecchium et dominum Franciscum Tahy, hoc est alterum ex eis, pro clementi Caesareae Maiestatis Vestrae voluntate Supremo Capitaneatu dignum esse censerem. Uterque enim diu iam cum laude exercet studia rei militaris.

Ad officium Judicis Curiae Regiae dominus Merey aptus mihi esse videretur, propter et legum Regni peritiam, et iudicii, consilii aetatisque maturitatem; si modo Locumtenentia Palatinali carere voluerit.

Interim tamen dominum Gabrielem Perennium existimarem esse requirendum, ne se neglectum fuisse lamentari posset. Et si quaedam defectionum suarum notae illi non obstarent, velletque crebrius esse in curia, peridoneum fore arbitrarer, quod et genere et opibus et authoritate polleat.

Si vero dominus Perennius hoc officium recusaret, et dominus Merey assumeret, Locumtenentia Palatinalis commode conferretur in Magistrum Damianum Prothonotarium, boni nominis et sufficientis legum peritiae virum.

Neve dominorum Baronum veteres familiae praeterirentur, ad officium Tavernicorum Magistri dominum Stephanum Banffy censerem esse promovendum. Verum si is id honoris ac muneris subire nollet, domino Stephano Doboni dandum esse iudicarem.

Honore autem Comitatus Comaromiensis semper hactenus, uti audio, potitus est ille, qui fuit Supremus etiam Capitaneus Comaromiensis, ut non ita pridem Joannes Paxy. De cuius honoris collatione quid debeam dicere, non satis scio; postquam dominus Chylimanus eo nunc fungitur.

In Capitaneum vero Nazadistarum probarem

eligi dominum Simonem Forgach; quamquam probaretur et dominus Jo. Balassa; et dominus Zay, si Cassoviensi vellet cedere, cum alias etiam praefuit huic officio, et didicerit modum in eognoscendis technis Turcicis, servandisque exploratoribus

Haec modo de his visa sunt pro conscientia.

Humillimus Agriensis mp.

LXXXIII.

Verancsics Antalnak Piopius Dénes modrusi püspök.

Quicquid in me contulerit dominatis Vestra Reverendissima, immortalitati suae conferet; ego interim curabo, ut perpetua seruitute mea me tantorum beneficiorum indignum haud praebeam. 1567. mart. 6.

Semioppositio Lunae ad Martem, qui prope septemtrionem versabatur in figura oblationis factae, id praesagire videbatur, quod scripseram. Sed ad noctem formari feci figuram, et inveni in ipso oriente Jovem cum capite draconis, qui in revolutione legationem et honorata itinera promittebat; Mercurium et Venerem prope nonam domum, quae ad itinera spectat, coniunctos in ipsius Mercurii domicilio, qui et solem recipit. Quibus aspectibus gratiam maximam, cum armigeris principibus ac delicatis personis, dominationi Vestrae Reverendissimae promitti non ambigo. Cauda tamen draconis in septima ostendit contradictiones non modicas in actionibus dominationis Vestrae Reverendissimae affuturas; sed caput cum

Jove omnia impedimenta tollet. A collera maximé caveat dominatio Vestra Reverendissima, quae unica sibi in hoc itinere nocere poterit; felicissimi tamen successus omnino sperandi. Ego cras purgationem sumam; et crediderim Deo auxiliante convaliturum. Interim me dominatio Vestra Reverendissima commendatum uti et semper velim et opto.

Eiusdem dominationis Vestrae Reverendissimae
deditissimus servus
Modrusiensis mp.

LXXXIV.

Verancsics Antalnak Piopius Dénes modrusi püspök.

Reverendissimo Monsignor, signor mio observandissimo!

1567. martius végén. Non so da che spirito mosso M. Pasqualino nostro mi habbia scritto l' inclusa letera; ne so quello ch' io m' habbia da risponderli: perho la mando a Vostra Signoria Reverendissima, accioche la uegga, et si contenti di farmi intender, quanto ho da far.

Quanto a le difficolta de l' attioni di Vostra Signoria Reverendissima di quest' anno, de quali parlaua hieri, quel signore sappra, che non tutti che sanno calcolare, sanno giudicare. Quell' oppositioni nele Natiuita significarebbono in universale, quanto diceva egli; ma bisogna avertire a gli altri aspetti aiutanti, che ne le rivolutioni altramente significano

non solo i pianeti, ma ancho i segni et siti celesti. Come per essempio vediamo di Saturno, il quale in una Nativita risposto in stettimana, mostra nemicitie de potenti et religiosi, et nella rivolutione significa prosperità ne matrimonij. Cossi la Luna nelle Nativita posta in quinta significa copia de figlioli, et nelle rivolutioni mostra legatione utile. Hora guardi Vostra Signoria Reverendissima quello, che li possono nuocere; quelli aspetti de quali si parlo, massime havendo Venere con Mercurio congionti in casa delli amici, ricevuti da Giove nella sua essaltatione, et essendo egli parimente ricevuto nella propria casa da Venere, et essendo Saturno guardato di sestile da Mercurio, il quale lo riceve in propria casa. Significa bene questa oppositione quello, ch' io disse et scrissi gia a Vostra Signoria Reverendissima. Male cio è a gli occhj, ne puo essere, che non habbia qualche difficolta con l' operationi sue, ma per le sudette cause tutte fieno superate, percioche finalmente i luminari non nocciono l' uno a l' altro; et le receptioni de pianeti fanno tanto, quanto si ciascheduno fosse in sua casa propria. Ne mancho da temere il pericolo de la caduta d' alto; perche Marte e recevuto da Venere in casa, et dalla Luna nell' essaltatione, et da amendue guardato di sosta; il qual aspetto è tanto benigno, che mitiga et atorra ogni altra mala dispositione de cieli. Et vegga Vostra Signoria Reverendissima, ch' 'l mio giuditio è vero; poi che per propria virtu, et non per altrui, promotione vien mandata in questa legatione; et vegga, che difficolta gli ha fatta quella oppositione tanto temuta da questo signore, ch' altra non è stata, che 'l darle collega, ilqual sarà poi tutto pendente da lei, et finalmente uscira in tutto et per

tutto il mio ginditio vero. Cosi Dio feliciti Vostra Signoria Reverendissima; a la cui buona gratia mi racomando

servitor obligatissimo
Il Vescovo di Modrusa mp.

Kívül: Al Reverendissimo Monsignor Illustre Vescovo di Agria etc., mio signor osservandissimo.

LXXXV.

Oláh Miklósnak Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Strigoniensem Nicolaum Olahum.

1567 apr. 1. Ab adventu meo Pragam, quod Reverendissimae dominationi Vestrae nihil scripsi; ea causa intercessit, quod nihil tale scribere potui, quod Eius dignum fuisset auribus. Tanto enim omnia hic geruntur silentio, ut raro aliquid ad privatos rerum perveniat. Illud duntaxat his diebus allatum esse, Regem Scotiae una cum patre sublatum fuisse, regia sua subditis ignibus conflagrata. Nec adhuc certum est de authoribus. Quum alij rumores de Regina, alij de quibusdam proceribus suspicantur, ob iniurias gravissimas, quas et in hos, et in Reginam dicitur contorsisse.

Belgium etiam magnopere laborat gravibus tumultibus ob religionem concitatis. Adeo ut Bruxellis templum Divi Francisci, quod amplissimum et pulcherrimum, simulque ditissimum fuisse aiunt, die

XVII. mensis Februarij subito et validissimo arserit incendio a nocte media ad ortum solis; non sine et dolore et terrore universae multitudinis civicae. Quid contra haec Philippus Rex meditetur? Notissimum est, quod vindictam sumendam de Dei hostibus; quum iam per totam Italiam, et per omnes ditiones delectus conscribant. Dominus Deus sit cum illo, et juvet illum sua dextera; postquam non patitur opprimi Catholicam Ecclesiam.

Hic prope dominicam vel septimanam Sanctam diaeta dilata fuit ad dominicam „Quasi Modo"; speroque, quod brevi finient, idque pro voto Caesareae Maiestatis.

Quid de me agatur; Caesar adhuc silet, vulgus maxime garrit, ego trepido et metuo a provincia expectans, quid velit Dominus, qui imperat.

Reliquum est; dominus Lysthius a triduo nonnihil aegrotat. Et ego peto, ut meo silentio parcat, et feliciter valeat. Pragae prima Aprilis 1567.

LXXXVI.

Dessewffy Jánosnak Verancsiesics Antal.

Ad Magnificum Jo. Desewffy.

Postquam huc ad Caesaream Maiestatem veni, non dedi ad Eandem ullas litteras, quod nihil tale novarum rerum occurebat, quod esset tanti, ut sollicitor (igy) in scribendo esse debuissem. Nunc iam 1567. apr. 18.

Magnifica dominatio Vestra sciat, Comitia Bohemica hoc biduo finem ultimum sentitura, et Caesaream Maiestatem ad octavum diem Viennam versus hinc feliciter moturam; nec uspiam moram facturam, quam triduum Znoajmae Moravici cuiusdam negotii caussa. De aliis rebus, quae vel pacem vel bellum tangerent, nihil omnino est, quod certo scribi possit; quod adhuc hoc utrumque pendeat, nec scitur, quorsum aut pacis aut belli prolapsura sit anni huius alea. Esto quod et hic bellicae curae non torpescant, et Turcae iam latius finibus nostris insultent, spargantque rumores bellicos. Quum interea et novus Turcarum Princeps quieti dicitur inhiasse, et finitimi non desinunt quiddam innuere de voluntate pacis. Sic expectemus adhuc, donec intelligamus clarius, ubi propius belli tempus appropinquare coeperit, et maturuerint utriusque partis vel de pace vel de bello caussae.

Tumultus Belgici subsidere coeperunt Valentianae civitatis deditione, et videntur plures aliae ad gratiam festinare, ac recantare tantae licentiae palinodiam; Philippus tamen Hispaniarum Rex ac earum dominus, pergit instituto apparatu ad sumendas de illis poenas, curabitque haud dubie, ut gratia tanto sceleri facta, infructuosa illi non cedat.

Ceterum cursor quoque ab Electore Augusto heri ad Caesaream Maiestatem venit, qui attulit, cives civitatis Gottes (Gotha), interceptis Crompaccho, et Friderico Saxonum Duce, cum complicibus aliis, volentes esse Imperio Imperatorique rebelles eos 13. die mensis huius eidem Electori, qui ipsam civitatem obsidebat, tradidisse. Sic finito eo bello, quo Maiestas Caesarea non mediocriter sollicitabatur, beneficio publico cives Gottenses assequuti sunt gratiam et lau-

dem non vulgarem. Jamque etiam ex hoc omnes Catholici in spem venerunt ampliorem, sedditiosos quoque Belgas cornua cum animis demissuros.

Quia vero haec Friderici Ducis, filii quondam Friderici Ducis Saxoniae, accidit in dominica, quae vocatur Misericordia; non sine mysterio illa accidisse quidam arbitrantur, quod eadem dominica pater etiam eius cum Lantgravio in Caroli Quinti Caesaris Augusti potestatem olim venerat, similis seditionis caussa. Ideo Magnifica dominatio Vestra videat prodigius et bene valeat. Pragae XVIII. Aprilis anno M. D. LXVII.

LXXXVII.

Piopius Dénes modrusi püspöknek Veranesics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Episcopum Modrussiensem Dyonisium Piopium.

Quum anno superiori ex fenetis Reverendissimae dominationis Vestrae vallis Agriensis, quas mihi elocaverat, nullos omnino fructus perceperim, Turcicarum Tartaricarumque procursionum causa; id ipsum quoque hoc praesenti futurum metuens, nisi ex alto benignitas minentibus malis occurrerit; Eidem his meis memoratis locutionem resigno, et admonitam volo, nolle me imposterum earundem quartarum habere curam; redditurus etiam contractus litteras, ubi primum Viennam rediero. Quia si diutius hoc Ei officio gratificari vellem, et me ipsum gravarem nego- 1567. apr. 22.

tio neutri nostrum utili; quando hae eaedem quartae neque a praefectorum, neque a militum nostrorum Agriensium licentia tutae esse possint.

Igitur curet, ut imposterum huic suae rei alia via subveniat, putaremque eam opportunissimam et commodissimam fore, si cum Capitulo transigeret; recusante vero Capitulo, cum Praeposito, aut cum provisore iuxta novam rationem deinceps Agriam gubernandi, quod iam tractatur. Nec ulla alia occurreret Reverendissimae dominationi Vestrae securior conditio ad assequendum aliquid fructuum, si utetur ex his altera.

A me vero non accipiat in malam partem, si eadem locatione nolim ulterius potiri. Nam cum videam Agriae ea et hostium et nostrorum rapinis esse exposita; nolo posthac huius officij cura onerari, et aestuare, ne mihi ipsi debitum contraham inaniter, simul et prudens Vestram Reverendissimam dominationem illud quoque refugiens, ne utriusque amicus noster fallatur expectatione sine fructu. Quum ad haec ministros etiam meos iusserim illinc recedere, et huc venire; distributis in privatos, quae ibidem mihi reservavi. Nos iam hic collegimus sarcinas, et instrati equi in horas expectant sessores. Credo, quod 28-a huius movebimus. Prava, volebam dicere Praga, totum me cum substantia fere mea devoravit. Ideo curetis, oro, ut in appulsu meo Viennam iam tandem Illustrissimi domini nostri communis facta mihi, non verba de illo reliquo succurrant. Et feliciter valeat. Pragae 22. Aprilis 1567.

LXXXVIII.

Oláh Miklósnak Veranesics Antal.

Ad Reverendissimum Dominum Strigoniensem.

Binas litteras Reverendissimae dominationis Ve- 1557. apr. 26
strae uno fere tempore, videlicet die 12. et 18. huius mensis datas accepi. Ad quas nunc respondeo. Caesarea Maiestas hoc mane pulsante hora sexta movit hinc Viennam versus felicibus auspiciis. Ego et dominus Lyzthius perendie, comite Domino, sequemur; interim omni studio et fraterna benevolentia curaturus, ut saltem societate bona levem eius aegritudinem, tametsi beneficio Dei incipit iam melius valere, et convaliturum omnino spero, ubi in apertum prodierit, et novo utetur coelo.

Quod autem Reverendissima dominatio Vestra scire desiderat, ad pacemne, an ad bellum res anni huius spectent; pro ratione tot Comitiorum, quae Maiestas Eius habuit in his regionibus, ego quoque hoc idipsum summa diligentia vestigavi; sed ingenue fateor, nihil me omnino de utroque hactenus assequi potuisse, quod haberem pro comperto. Verum si coniecturis fides sit adhibenda, ita geritur belli cura, ut et eius usus in promptu sit causa postulante, et pax nichilominus amplectatur, si hostis gesserit se non dolose, sed sinceriter. Hoc tamen belli pacisque discrimen liquidius constabit, ubi tabellarius Maiestatis Eius Constantinopoli redierit. Oratori Regis Poloniae commendavi Reverendissimae dominationis Vestrae

amicitiam eo studio, quo decuit. Nec aliud de statu Regni eius retulit mihi, quam quod agebatur de induciis cum Mosco, eisque brevibus. Caeterum quod et magnates et nobiles et plebei eorum non pauci coepissent haereticorum fallacias, suos vero errores agnoscere et resipiscere, redireque ad Catholicam Sanctae Romanae Ecclesiae confessionem. Idque potissimum ex tam multiplici varietate sensuum Sanctarum Scripturarum, dum eos identidem pro libidine sua, spirituque, quo sunt vertiginis ac diabolico, mutare et remutare non erubescant; quin etiam insolentissime hanc ipsorum inconstantiam fidei tueantur. Dicebaturque fieri hoc, nulla patrum Ordinis Ecclesiastici contentione, sed prorsus Divina providentia, ex dissidiis intestinis, quibus invicem exarserunt, seque sperare, non ita multo post futurum, ut furiae illorum plane debilitentur, et respiret Catholica professio.

Ex Belgio quoque habemus, Antverpienses desiisse ab insania, receptoque Regis sui praesidio, et Catholicos ritus in Ecclesiam suam resumpsisse, et concionatores haereticos urbe sua exegisse. Sperarique haud dubie, ut tota ea provincia redeat in pristinum religionis statum.

Rebelles vero Imperatoris et Imperii, qui Gottes (Gotha) civitatem insederant, iam qui fuerunt nocentiores, poenas dederunt. Dux Fridericus Drezna tenetur in custodia, duciturque ad Caesarem Viennam vinctus. Grumpak cum tribus aliis vivus quadrifariam sectus est. Alii, qui truncati capitibus, qui in furcas acti; pauci adhuc detinentur, nec novi causam. Elector ipse suo iure civitate potiturus, donec sumptus ei ad bellum facti reponantur.

Ad Themesiensem Passam quod attinet, nisi fallimur hostium perfidia, iam provisum est, ut desistat, gentesque reducat e ditione Caesarea. Dydesque quod exustum sit et deiectum, servatumque praesidium eius, bene factum est; quod fieri de Putanok etiam erit melius, si melius muniri non posset, quam hucusque fuit. Sed haec cura erit Sfendae.

De mutatione praefecti Agriensis Reverendissima dominatio Vestra nihil vereatur, etiam si maior hostium vis illud confinium pulsaret; dummodo illa pestis, qua hactenus vexata ac depasta est infelix Agria, facessat ex ea, et in mille malas cruces abeat. Quam vir militaris ille fuerit, nunc tandem constitit, quando viso lupi adventu, subduxit se mercenarius et publicanus cum suis loculis. Deus inter ipsum et Ecclesiam meam, quam celerrime fieri possit, iudicet, detque illi talem alium, qui honorabit et tuebitur cultum eius, religionemque Catholicem promovebit, neque me ac meos fratres et gregem opprimet dominicum. Quanquam intelligam, nondum esse decretum de praefecto novo, designatisque eo commissariis, non aliud, quam inquisitionem fuisse demadatam eorum, quae ad statum eius Episcopatus totum pentinere videbitur. Utcunque tamen successurum sit, abeat illine tantummodo Magocziana crudelitas et incivilitas.

Cum Reverendissimo domino Nuncio Apostolico egi omnia, quae voluit, reperique hominem de Reverendissima dominatione Vestra optime sentire, Eidemque in omnibus deferre, uti Antistiti, quemadmodum decebat, qui omni honore, dignitate commendationeque dignissimus. Proinde retexuit coram me omnia illa, quae in Illiani doctoris causa cum Reverendissima dominatione Vestra, imo et cum illo egerit, ut se

accommodaret menti meliori, seque etiam Praelato suo subiiceret, et sic tandem eiusdem reconciliatione, venia, gratiaque promerita, coleret Ecclesiam, in qua benedictionem Domini assequutus est, ut bonus sacerdos et minister Dei, et plura huiusmodi. His etiam non praetermissis, quibus eidem insultaverit, tanquam Reverendissima dominatio Vestra non illi, neque communi aequitati faverit. Quo quantopere offendat? longum esset narrare. Quum illud et adiecerit, iam se plane hominem perspexisse, vidisse oculis, manuque palpasse, non eum esse mentis integrae; videreque, Reverendissimam dominationem Vestram nihil in hac ipsa causa egisse, aut agere, quod cum sacris canonibus non conveniret, deceretque facere in sananda Ecclesiae suae ovicula; esse praeterea illud verissimum, delinquentes sacerdates oportere humiliari, et poenitere de admissis, sicque demum non perfunctorie et ostentative, sed cum vera cordis contritione sumittere sese Antistiti suo, et veniam, remissionemque, et absolutionem peccatorum suorum ab eo implorare. Pluraque in hanc sententiam, eoque affectu, ut Reverendissimam dominationem Vestram vellet esse bono animo; se vero nihil acturum, quod in utroque non esset futurum aequitati consonum. Quamquam solent excommunicatis conditionalem quandam absolutionem dare Canonistae, donec ad officium redeant, et in causa sua dicant, si quid ad dicendum habuerint. Sed et de hoc distulit ad mutuum congressum, quem est cum Reverendissima dominatione Vestra brevi Viennae habiturus. Et de Illicino satis. Dominus Nuncius Eandem salvum esse cupit, et se valide commendat.

De incendio Tyrnaviensi iam rescripsi; salutavique hic omnes eius nomine, uti iussit. Nec desum

etiam apud Maiestatem Caesaream dignitati suae per occasiones. Alioqui quum et Maiestas Sua Reverendissimae dominationi Vestrae sit gratiosissima, et ego instrumentum valde tenue ad praestandam ei aliquid beneficiorum huius generis. Non desum tamen hoc facere quod ipsa vult, et ego possim. Deus Omnipotens Reverendissimam et Illustrissimam dominationem Vestram servet incolumem. Pragae 26. Aprilis 1567.

LXXXIX.

Forgách Ferencz váradi püspöknek Verancsics Mihály.

Ad Reverendissimum dominum Varadiensem Franciscum Forgach.

Nimis diligenter, ne dicam et anxie, Reveren- 1567. máj. 22.
dissima dominatio Vestra videtur mihi commendare Raphaelem Vianucium, affinem potius quam nepotem meum; qui quum me collateralibus et remotioribus gradibus consanguinitatis contingat per foemineum sexum, sine sane etiam sacrorum canonum examinatione ac scrupulo, facile iam inter nos, si liberos haberemus, coniugia miscere possemus. Verum enimuero quicquid in eum nominis ac tituli nepotis mei contuli, feci pietate, ut qui etiam in alienos, quum possim, beneficia ex me derivare non negligam. Sed id utcunque tituli, minime me invito, usurpavit sibi, indulsi ei, ut si se etiam fratrem meum nominet, dummodo his moribus polleat, atque ornatus sit, quibus ego non erubescam, neque toties in indignationem contra illum

exardeam. Non destiti saepissime necessitatibus atque aerumnis eius succurrere, et plane prostratum (igy) egestate, pluribusque fracto exiliis, allevare. Semper tamen ad ingenium rediit, quotiescunque ope mea refectus est, mihique et curas molestiores cumulavit, et pudorem incussit. Neve hic referam clarius caetera. Haud dubie, si Reverendissima dominatio Vestra intus et incute novisset hominem, longe aliter de illo commendationem suam instituisset. Cesso tamen nunc alia eiusmodi attingere, meque plurimum eidem debere profiteor, et magnas habeo gratias quod quicquid honoris, subsidiique in illum contulit Pornovii, nomini meo dederit, ut consuevit mea causa multo maiora facere, et ea omnia dignitati meae summa cum humanitate (quod est singularis suae erga me benevolentiae argumentum) tribuere, quibus ornat, ac suam tuetur. Itaque, ut plane perspiciat, quanti sit apud me voluntas eius ponderis, petitio reverentiae, aestimationisque commendatio, quibuscunque eam impartita fuerit, Raphaelem recepi in gratiam, et iam sperabit a me meliora, quam sperare diu certe non potuisset, si non incidisset in tantum commendatorem et patronum; qui mihi semper habitus est magnus et charus, et sane quam dignissimus, cui et animus meus, et omnes motus mei sese subiiciant ac pareant, et irae indignationesque mitescant et leniantur.

Quod vero reliquum est, Reverendissimam dominationem Vestram facio certiorem, me iam decretum esse in Turciam de pace Oratorem, spemque de illa dari maximam, quod ab hostibus sic expetitur, ut eam sitire prope videantur. Faxit pater coelestis, ut succedat, et flagellum suum inhibeat, nosque illuminet, ut eum nobis reconciliemus.

De sua autem re, quod his possim adiicere, aliud nunc non habeo, quam quod communes litterae nostri Consilii ad Reverendissimam dominationem Vestram perferent. Rogo, cogitet adhuc nonnihil de sententia commutanda, donec res haeret in initiis, neque cum tanto Caesare dimicet animi sui passionibus. Quum consuetum sit vel exprimentis antiquissimis, facilius a Principibus obtineri solere honorum, ornamentorumque incrementa aequanimitate et patientia, quam pro cuiusque viri etiam maximi arbitratu extorqueri, necessitate eis opposita. Nam et ipsi, ut reliqui mortales, non semper possunt, quae volunt, celeriusque in eos effundunt beneficia, a quibus prudentius eorum possibilitas expenditur et sustinetur. Reliqua propediem de hoc in Comitiis. Nunc valeat feliciter, et me amet. Viennae 22. Maii 1567.

XC.

Melegh Boldizsárnak Veranesics Antal.

Ad Balthasarem Melegum.

Accepi litteras vestras VIII. die huius mensis da- 1567. máj. 24.
tas, eisque intellectis agnovi, nondum animum Eius erga me refrixisse. Quin potius ita studia quoque Illius, quibus me complectitur, perspexi esse adaucta, ut mihi hoc tempore his hijsdem vestris litteris nihil fuerit gratius. Quarum quot quot fuere dictiones, tot prope magni amoris vestri agnovi argumenta, quibus

quanti me faciat, clarissime demonstravit. Habeo itaque Vobis gratias, et fidem facio, ita Vos quoque a me vicissim amari, ut par est amantes redamari.

Ad laudes autem, quas mihi tribuit, meritaque mea in communem patriam collocata extollit, Ipsa quoque amanter et officiose facit. Verum non est, quod ego vel tantillum earum mihi arrogem. Propterea nec respondendum mihi quicquam esse puto. Quid enim omnes mortales habeamus, quod non acceperimus? Unde mihi quoque quicquid est vel virtutum, vel meritorum; dona sane sunt et Dei. Et ne quid in nobis sit, quod velimus nostrum esse dicere, id quoque attributum nobis est Divinitus; quia ex alto omnia. Et sufficientia nostra non ex nobis est; sed eius qui nos fecit et confortat. Igitur quicunque gloriari velit, in Domino et in cruce eius glorietur.

De incendio istius civitatis, et de iactura multorum tam vestri ordinis, quam afflictae plebis, equidem mirifice et manifeste video, omnes iras Dei in nos esse effusas propter peccata nostra, et quod tot flagellis eius castigati, nec adhuc vel dolere, nedum emendari velimus. Sed de his alias.

Et ad vestram operam quod attinet, quam mihi offertis, et est mihi notissima; nec in alia re uti illa volo, quam in amore, quem se mihi dedicasse testatur. Vale. Viennae 24. Maii 1567.

XCI.

Dévi Jánosnak Verancsics Antal.

Ad Joannem Devinum.

Uxor coloni nostri Pauli Kwn de Sellie prae 1567. máj. 26.
sentium exhibitrix venerat ad nos, et supplicavit, ut adhuc eius causam, quam habuit cum Caspare Faczan similiter colono nostro in eodem loco, committeremus iterum revideri. Quod an fieri possit? nescimus; maxime si in eodem causa iam habuerit novum iudicium. Ideo ne ulla in causa alienae aequitati desimus, colloquere cum egregiis aliquot dominis nobilibus, vicinis nostris, cum bonorum nostrorum judicibus et juratis civibus, et etiam cum aliis aliquibus vicinarum possessionum incolis; captoque ab omnibus maturo consilio, sic procedas in dicta causa, ut juris erit, demumque quicquid ab iis decretum fuerit, mature cures exequendum. Quia ut ab aequitate et iustitia neminem vestrum, qui geritis nostra officia, volumus recedere; ita omnino malefactores impunitos, habita criminum et judiciorum ratione, non deferremus. Nec secus facias. Vale. Viennae 26. Maii 1567.

XCII.

Zay Ferencznek Verancsics Antal.

Ad Franciscum Zay.

1567. jun. 12. Sic Deo, et Caesarea Maiestate, ac fatis meis volentibus ego iterum eo in Turciam cum legatione de pace. Quod felix ac faustum sit, quum Caesareae Maiestati, domino nostro clementissimo, optimoque Principi, tum et Regno afflictissimo Hungariae et toti Christianitati. Mihique sic ubique et in tota actione idem dominus Deus adsit, ut omnibus ex alto donis instructus redeam exorator, et cuncta peragam, quaecunque publica complexa est expectatio.

Legi autem quasdam litteras Magnificae dominationis Vestrae ad amicum quemdam utrique nostrum communem, quibus disuadebat mihi tantae provinciae molem. De qua eius pietate ego quidem Magnificae dominationi Vestrae magnas gratias habeo. Verum quia et Caesaris et patriae pietas istam eius longissimo tractu superat; voluissetne, ut et Caesaris preces expectassem, et necessitati patriae defuissem, meamque vitam, meumque bonum pluris fecissem, quam Patriae, quam tanti Caesaris? cui subditorum ac servorum qui non gratificari atque obedire student, impii sane sunt, et omnis tum civilitatis, tum humanitatis expertes, ignarique officii.

Jacta itaque est alea; experiarque adhuc semel, an sexagenarius etiam possim Patriae ostendere, quantum pro incolumitate eius et hactemus voluerim,

et imposterum velim. Reliqua mea Dei curae commisi. Cupidus ab Eadem scire, ut si quod Constantinopoli velit, mihi jubeat; idque per veredarium. Et bene valeat. Viennae 12. Junii 1567.

XCIII.

Comenduno bibornoknak Verancsics Antal.

Al cardinal Comenduno.

Io hebbi le lettere di Vostra Illustrissima e Re- 1567. jun. 20.
verendissima Signoria, e per raguaglio di quelle il dottor Illicino questi giorni passati depose al Arcivescovo nostro tutti li soi beneficij, et assolto dalla escommunicatione non senza grandi intercessori, et humel dimanda di perdono, sene resto semplice sacerdote, non con altra spence di vivere, cha de avoccare, se cio anchora li sara concesso dalli sacri canoni. Gli amici non li sono manchati. Ma chi saputamente vol manchar à se stesso, à che gl' ufficij delli amici?

Gli novi servitori del gia di Monsignor Andrea Duditio Sbardellato vescovo di Cinquechiese gieri arrivorno qui da Polonia. Ne ci è piu logo di non credere, che non fusse fatto marito; chosa, che li soi amici mai volevano haver per certo. Ma gia l' esento à tutti il dubio tale, non senza dispiacere, si del caso d' un homo giovene di si rara espettacione, qual ogn' uno haveva da lui; come del scandalo, ch' ha dato alla Catholica Chiesa, et à tutto l' ordene, loquale

con noi altri haveva commune. Signor Iddio gli dia miglior anchora sentimento, se ci sara modo di ricantare.

Io, come gia deliberatissimo di servire la Signoria Vostra Illustrissima, vo a Constantinopoli per ambasciatore, e parto da qui infra diece giorni. Se La mi vol commetter qualche cosa, che Li aggradisse in quelle parti; prego, mi commetta e commandi. Ne manchero di fare tutto quello vorra, quanto la Soa benevolenza e gratia desidero. Signor Iddio La prosperi sempre. Da Vienna alli 20. di Zugno 1567.

XCIV.

Maximilián király Verancsics Antalnak.

1567. jun. 30. Nos Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod nos debitum habentes respectum ad servitia fidelia et merita fidelis nostri Anthonii Verantii Episcopi Ecclesiae Agriensis et Consiliarii nostri, quae ipse nobis et Regno nostro Hungariae cum alias saepe, tum in legatione sua ad Solymanum Turcarum Principem praestitit; considerantes etiam id, quod rebus Regni nostri Hungariae ita exigentibus, nunc quoque ex commissione nostra ad novum Turcarum Principem Selymum oratoris nomine pro-

ficisci debeat; quae legatio cum anceps et periculi plena sit, ei praesertim qui senio gravatus esse videtur; de Regiae nostrae potestatis plenitudine id eidem annuendum duximus et concedendum, ut ipse de omnibus rebus et bonis suis, mobilibus et immobilibus, per se qualitercunque acquisitis, exceptis tamen rebus et bonis ecclesiasticis, ad eas videlicet Ecclesias, quibus nunc praeest, pertinentibus, testamentum rite et legitime condere, et illa sive fratribus, sive neposibus, et aliis, quibus voluerit, fidelibus tamen nostris, legare et relinquere possit. Quod eius testamentum nunc prout extunc, et tunc prout exnunc auctoritate nostra Regia benigne confirmandum duximus; promittentes, quod illud tam per nos observabimus, quam per alios quoscunque subditos nostros observari faciemus; immo annuimus et concedimus, approbamusque et confirmamus, ac promittimus harum nostrarum, quibus secretum sigillum nostrum, quo ut Rex Hungariae utimur, est appensum, vigore et testimonio litterarum. Datum Posonii ultima die Junii anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo.

Maximilianus mp.

(P. H.)

Nicolaus Olahus
Strigoniensis mp.
Gergius Bochkay mp.

(Az 1567. és 1568-ki, Verancsics második konstantinápolyi követségének éveiből fennmaradt levelek jelen gyüjtemény V. kötetét képezik).

XCV.

Zsámboki Jánosnak Verancsics Antal.

Ad dominum Sambucum.

Magnifice domine et frater charissime.

1568. máj. 12. Carmina tua de incolumi reditu meo gratulatoria, et plena etiam laudis, qua industriam meam de obtenta pace extollis, fuere mihi quidem gratissima, ut alia tua solent omnia, quae ad multorum utilitatem successivis temporibus excudis; maxime autem, quod primus omnium veteri officio comprobare maturaveris, quam me constanter ames, et quanti etiam facias. Cuius erga me tam praeclaram voluntatem quanti ipse quoque faciam; ne vivam, si non pluris, quam multorum aliorum, qui se amici mihi profitentur. Delector enim ex eruditione tua, et ingenio tuo; quod quidem certe dignum esse iudico, ut illud gens nostra et ornet praemiis, et honoribus cumulet. Atque ego, ut et simpliciter et sinceriter profero de te hanc sententiam, ita etiam velim, me omnes in te amando et ornando sequantur, qui in te agnoscunt, quod ego. Ut autem retineas apud te mnemosinon, fuisse me in Turcia, et ibi tui meminisse, misi tibi tapetem, Bezaarem vero ipsemet manu mea exhibebo. Vale et sis felix. Viennae XII. Maij 1568.

XCVI.

Verancsics Antalnak Szerdahelyi Máté myszlai prépost.

Reverendissime in Christo pater, domine ac pa- 1568. máj. 24.
trone perpetuo colendissime. Orationum ac servitiorum meorum deditissimam commendationem. Si diu absentis hominis patrisfamilias reditus charis liberis gaudio unquam esse potest, certe Reverendissimae dominationis Vestrae desideratissimus reditus summum omnibus nobis Eam sincere expectantibus gaudium attulit. Cui et propter itineris longinquitatem, et populi ethnici crudelitatem, non potuimus non timere. Vicit hos timores in Reverendissima dominatione Vestra, antequam periculosae legationis iter aggrederetur, pietas et verus in patriam amor; quae res suo tempore in litteras referri merebitur. Aeneae pietatem, licet celebratissimam, pietas, quae in Reverendissima dominatione Vestra vere Christiana ac summa conspicitur, longo intervallo excedit; de quo nunc disserere longum esset et taediosum. Restat igitur, ut, si pietati merces debetur, debetur autem summa, iam bravio pietatis Reverendissima dominatio Vestra illustretur, et ab Agriensi amplitudine ad eum sacerdotii gradum sublimetur, qui est in Ungaria omnium summus.

Gratulor ex animo reditui Reverendissimae dominationis Vestrae, et gratias Altissimo ago, qui me toties id petentem exaudivit, et inter Scyllas et Carybdas servatam mihi incolumem reduxit; precor, ut

idem Reverendissimae dominationi Vestrae longam vitam, atque semper felicem largiatur; regat suo veraci spiritu, ut eiusdem heroicis virtutibus, stupenda authoritate, multaque rerum experientia, res Ungaricae ter adflictae, diu feliciter gubernentur, et ad posteros cursu secundiore dimanent. Me Reverendissimae dominationi Vestrae deditissimum facio, et in omnibus officia humiliter offero. Ex Misle 24. Maij 1568.

Eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrae
veteranus servus
Matthaeus Zerdahelj mp.

CXVII.

Az udvari kamarának Veranesics Antal és Teuffenbach Kristóf.

Ad Cameram Aulicam

1568. máj. 28. Generosi ac Magnifici Domini. Litteras Magnifici domini Alberti de Vys, Oratoris Sacrae Caesareae Maiestatis, collegae nostri, qui apud Principem Turcorum remansit in pristino officio, legimus et intelleximus. Et ubi informationem de pecuniis, quarum mentionem facit, a nobis requirunt, de his nos, quas habuit ante adventum nostrum Constantinopolim, nihil loqui possumus; quod eam pecuniarum rationem omnino non cognoverimus. Verum quum idem dominus Albertus quinquies mille talleros, quos a nobis

acceperat, subito in creditores suos distribuerat, et nos quoque consumptis pecuniis, quae nobis Posonio solventibus datae fuerant, simul omnes tres egere coeperamus.

Ac post multam sollicitudinem, quam habuimus causa sumptuum, quod rebus nostris nullus ordo constitutus fuerat de pecunia assequenda necessitatis tempore, tandem subvenit nobis Benedictus de Gagliano, civis Galatanus, mille quingentis coronatis, quibus divisis inter nos omnes et expositis, alias pecunias quaerere agressi sumus, aegreque admodum duo millia aureorum Turcicorum a Don Josepho Nassy, Gian Myques antea nominato, mutuo levavimus. Atque his etiam inter nos omnes aequiso portionibus distributis et expositis, postremo Hadrianopoli a supremo Passa Mehmet, quod privati nulli offerebantur, qui nos vellent iuvare mutuo sine valde excessivo foenore, levavimus aureos Hungaricos, non Turcicos (ut scribit dominus Albertus) ter mille et quingentos. Quibus pari ratione inter nos distributis, domino Alberto cesserunt mille, Christophoro a Theuffenpach mille, Agriensi vero mille quingenti. Restitutisque ex hac summa Don Josepho Nassy duobus millibus Turcicis, reliquis ad postremum viximus, ac dominus Albertus cum sua portione remansit Constantinopoli, nos duo cum nostris Viennam rediimus.

Ne tamen et illud praetereamus, quod ad hanc informationem attinet; proxime hic iam Viennae dominus Vitus de Dorimberg, qui Venetiis agit Oratorem Maiestatis Caesareae, dedit ad nos litteras, quibus, scribit, submissos fuisse nobis per eam viam de mandato Maiestatis Eius mille quingentos coronatos, ultra illos priores 1900, quibus primum mutuum per-

solutum est Benedicto et Dominico de Gagliano fratribus, altero Venetiis altero Galatae habitantibus. De quibus 1500 coronatis nos nihil accepimus, neque intelleximus, quia iam inde moveramus, arbitramurque, in manus domini Alberti perventuros; qui relinquunturne sustentationi ipsius, hoc solae Magnificae dominationes Vestrae sciunt.

Nos tamen omnes tres ita Passae promisimus, et cum eo convenimus, quod praefata tria millia aureorum Hungarorum et quingentos, sine ullo foenore remittemus illi per praesentem Oratorem infallibiter; rogamusque Magnificas dominationes Vestras, ut id non graventur Caesareae Maiestati Suae ad scitum dare, et curare, ne idem Passa fallatur, et promissis nostris, et expectatione sua.

Ubi autem dominus Albertus fecit mentionem de hac pecunia convertenda ad eliberationem Beghi Zeczieniensis, id nos non omnino fatemur pro re autentica; etiamsi hoc a Ministris tantum audiverimus obiter dictum. Nec putamus e decore Maiestatis Caesareae fore, si id fieri mandabit; quod et pecunia parva sit, et quum res sit ei cum magno Principe, qui dono captivum postulat. Generosius Maiestati Suae esset de hoc deliberandum, ne aliquo pacto a barbaris traduceretur, utque magnitudo Eius Maiestatis in summo remaneret. Quod nos Oratores omnibus viribus nostris curavimus. Viennae 28. Maii 1568.

CXVIII.

Forgách Simonnak Veranesics Antal.

Ad Magnificum dominum Simonem Forgach.

Egregius Baltasar Ziny reddidit mihi unas lit- 1568. jun. 11.
teras Magnificae dominationis Vestrae, alias vero Stephanus Barius; is credentiae, ille pluribus rebus refertas. Et has itaque intellexi, et quae Barius retulit percepi; meamque in eo omnem operam, quam a me desiderat Magnifica dominatio Vestra, promptissimam et propensissimam polliceor, ubi primum ea de re sermo erit. Nec id quidem semel, sed quoties opus erit, et ratio postulabit. Quamquam (renui meo iudicio) non esset hoc tempore de hoc captivo cum Sua Maiestate contendendum, propter pacem, cui omnibus viis ac modis Maiestas Sua suffragandum curat Non complacere autem Principibus in huiusmodi rerum momentis, o quantam saepenumero quam plures homines de gratia eorundem Principum iacturam faciunt! Ne itaque pro parva utilitate aliqua maximas afferat in discrimen; et ne Magnificae dominationi Vestrae exemplum desit: simile negotium mihi, Stephano Zolthay, Francisco Gemes, et quibusdam aliis militibus contigerat annis elapsis, idque ob Judaeos, qui in captivitatem Agriae inciderant. Quorum quum pars tertia cessisset mihi, omnium portiones una cum captivis Maiestas Sua postulavit. Subterfugientibus nobis hoc facere, et varia allegantibus in contrarium, nihil profecimus; dilapsisque militibus quibusdam

cum suis portionibus, et Caesareae Maiestatis crescente indignatione, ad postremum nullo loco excusationibus et precibus nostris dato, ne ea molestia vexaremur: tandem Maiestas Sua praecepit, ut quae pecuniae redemptionales eorumdem captivorum in promptu essent, mitterentur ad Suam Maiestatem; quicquid vero deesset toti summae ob eorum militum, qui sese subduxerunt (ratas), ego de meo supplerem. Coactus itaque obedire, mille talleros ad eos, quos acceperam, adieci, et per Zolthay misi. Sic demum placavi mihi Caesarem. Ne igitur dominatio Vestra ad haec veniat, tempestive et cum iudicio deliberet, quid ei sit agendum cum Principe. Ego alioquin non deero tentare omnia, ut Magnificae dominationi Vestrae gratificer; in eo etiam, ut aliquando Agriam revisam. Quo desiderio non certe sum ipse minus, quam dominatio Vestra Magnifica, modo extricare me possem ex aulae retinaculis, quibus in dies magis ac magis irretimur, quanto magis eam frequentemus. Spero tamen brevi futurum, quod ego et amici mei cupiunt.

Pacis negotia (uti video) non est opus pluribus me describere; quum ita de eis Magnifica dominatio Vestra et ad me, et ad Reverendissimum dominum Transsylvanum perscripsit, ut nihil sit praeterea, quod eis adiici possit. Nec ulla erit in illis difficultas, si modo de deditiis bene transigetur. Quorum res non alia causa videtur in discrimen venisse, quam pace cum Persa facta, ne in bellum nos, vel hoc ipso anno incidissemus, quo fortasse cum sicco etiam viridia amisissemus. Alioqui puto. omnium conclusionem eos quoque cognituros, ad quos maxime Hungariae incolumitas pertineat.

Litterae autem Magnificae dominationis Vestrae in Turciam ad me datae, redditae sunt fideliter; sed ad eas responsum nullum dedi, quod tunc maxime tractatus noster flagrabat, occupabamurque summa rei pacis, et conservationis duarum arcium, Vesprimii et Tattae, quas utique etiam conservavimus, ne diruerentur. Utinam tamen sic vos etiam istic non permisissetis Jazbrinium erigere sub induciis.

Quantum vero nobis Oratoribus licuit, admonuimus de omnibus Maiestatem Caesaream, quae ad commodiorem statum pertineant nostri populi ac nostrae gentis. Sed quum haec non sint authoritatis unius vel duorum hominum; dominationes etiam Vestrae, quum tempus erit, loquantur. Ego inter alios non ero postremus, qui rempublicam nostram salvam esse velim.

De equis meis non est bene informata Vestra dominatio Magnifica; quia vix quatuor eduxi de eo genere, qui parypi nominantur, et tantummodo apti ad gestandum me in curiam. De quibus quum Magnifica dominatio Vestra habeat copiam, non est opus vel verbum de meis facere. Alioqui ego certe militares non quaesivi; nec facultatem habuimus emendi, quos voluissemus; adeo Turcae nobis equos suos invideant simul et prohibeant.

Postremo quicquid mihi significavit oretemus, intellexi, curaboque, (ut) ei nullo tempore desint officia. Tantummodo oro, ut ipsi quoque sit commendata mea Ecclesia, nec fratres molestentur, labefactaretur-que Agriae Catholica religio. Quae si videro dominationi Vestrae Magnificae serio esse commendata, et me, et mea habebit semper ut sua.

Quum autem sumptibus nonnihil carco, Scipio familiaris meus vendet quosdam redditus meos; rogo,

exhibeat sese illi favorabilem, maxime in divendendis vinis. Quod eius erga me officium, erit mihi certe cumulatissimum; dabitque causam, ut eidem magis, ac magis debeam. Valeat optime et feliciter. Viennae 11. Junii 1568.

XCIX.

V. Pius pápának Verancsics Antal.

Ad Summum Pontificem Pium V.

Sanctissime et Beatissime Pater!

1568. jul. 12. Post oscula Sanctitatis Vestrae pedum beatorum. Profectus anno superiore in Turciam nomine Imperatoriae Maiestatis de pace Legatus, non putavi eam provinciam feliciter mihi successuram, nisi benedictione Sanctitatis Vestrae fuissem communitus. Res enim tantae molis apud superbissimum et Christiano nomini infensissimum hostem tractare, tenues sane et imbecilles essent humanae vires, nisi ope Divina fulcirentur. Quae mihi quum per benedictionem Sanctitatis Vestrae abundatissime affuit; illud est consequutum, ut, quicquid in eiusdem pacis negotio confectum sit ex sententia, id inprimis Sanctitati Vestrae deferendum est. Per cuius vicariam authoritatem suam Dominus Deus tantum gratiae mihi et collegis meis, viris summa industria curandae Reipublicae praeditis, concesserit, ut maximis duobus Orbis Im-

peratoribus in amicitiam et pacem deductis, id in quam plurima Christianitatis Regna redundavit beneficii, quod diu desideratum et expetitum fuerat.

Haec autem pax magna Legatorum contentione conatuque obtenta, ut praecipue nostris regnis ac provinciis opportunissimo tempore venerit, desperatis nimirum interim ad gerendum bellum auxiliis omnium fere Christianorum Principum ob intestinas eorum discordias, quibus et se ipsos et thesauros suos inanissime, parumque Christiane consumunt atque conficiunt, ita certe iis serio amplectendam conservandamque esse arbitror, quorum maxime interest, ne labefactetur, et in se bellum attrahant, quod maximis Caesaris sumptibus, Legatorum vero laboribus atque industria summotum est. Idque eo tempore, quo facta etiam cum Persa pace. arma nobis insolentissimus et potentissimus hostis secure intentabat, pace ac bello, veluti quodam sinu coram nobis effuso, utrum malemus, eligeremus.

Nimis superbe ac ferociter usus Turca eminenti sua fortuna, nostram nos tempori accomodavimus, et conditionibus etiam nonnihil incommodioribus contenti, bellum, quod in praesentia futurum fuerat nobis vale intempestivum, avertendum curavimus. Reliqua Divinae Providentiae commendavimus, et in meliores occasiones distulimus.

Ego vero interea temporis, etsi iam bis etiam ab inita Episcopatus mei Agriensis possessione, pro iuramento meo in consecratione mea Sanctae Sedi Apostolicae et Summis Pontificibus exhibito, Sanctissima Divorum Apostolorum Petri et Pauli limina visere debuerim ; id tamen subiectionis et obedientiae vel nunc maxime erat mihi obeundum, ut reddito devotionis ac pietatis

officio Sanctissimis Apostolis, quod debebam illis, Vestram quoque Beatudinem uberius coram de Turcicis rebus, ac de toto cursu legationis nostrae edocuissem, quam per litteras licuerit.

Verum assiduis Sacrae Caesareae Maiestatis occupatus negotiis, ubi animadverti, hoc mihi nunc non concedi; ne utique vel partem aliquam muneris ac debiti mei negligentius intermitterem, nobilem Franciscum Diatalevi, natione Fanensem, Secretarium vero et Magistrum Domus meae delegi, destinavique istuc, ut loco mei utroque hoc officio defungatur. Fuit enim mecum in Turcia; et quum sit mihi familiaris intimus et veteranus, nec desideretur in illo Principes adeundi modus; demisse supplico, dignetur Beatudo Vestra dignum facere, ut ad Sanctissimos eiusdem pedes in persona mea clementer admittatur, eosque osculo oris mei devotissime et subiectissime veneratus, cetera quoque pro Sanctitatis Vestrae benigna indulgentia exequatur, quaecunque ipse debuissem, si praesens esse potuissem.

Donec autem id facultatis mihi obvenerit, non desinam precari Dominum, ut Sanctitatem Vestram Sanctae Romanae Matri Ecclesiae quam diutissime servet incolumem, fundamentaque reformationum praesentium cleri, quae ipsa Sanctitas Vestra felicissime iecit, ita eiusdem instituta atque exempla in omnium patrum mentes immigrent, ibique occupent firmissimas sedes, ut imposterum quamplurimi Summi Pontifices Sanctitati Vestrae similes longissima serie succedant in Ecclesia; nec raritas bonorum admiretur, sed copia eorum tanta suppetat omnibus futuris saeculis, quanta ex radice optima nasci debuerit. Deus Optimus

Maximus Sanctitatem Vestram in sua gratia quam diutissime et quam prosperrime conservet. Viennae die 12. Julii M. D. LXVIII.

C.

Szerdahelyi Máté prépostnak Veranesics Antal.

Ad Mattheum Zerdahely Praepositum Myslensem.

De tam accurata gratulatione, quod salvus ex Turcica legatione redierim, idque cum optata pace, mihique plurimis laudibus attributis, maxime pietatis in patriam Aeneae me aequantis, habeo vobis singulares gratias; agnoscens veterem vestram erga me voluntatem, et studia, quibus semper mihi non obscure declarastis, quantopere et amaveritis me, et honoribus meis consultum esse velletis. Verum, etsi laudes istae, quas in me congeritis, longe superant mea merita, virtutes vero multo etiam longius; quum tamen in huiusmodi rerum momentis plura amicis concedantur, quam par esset alias, quod haud dubie beatissimi esse videantur, qui promovent ac sublevant publica commoda; non tam, mi Praeposite, istam vestram gratulationem ex laudibus, quam ex animo et benevolentia vestra metior, qua me sincerissime semper prosequuti estis, et nunc etiam eadem vos adduxit, ut me in tam raris mortalibus collocaveritis, et supra multos extuleritis. Sit itaque hoc, quicquid sit, amicitiae nostrae mutuae; reliqua donemus Divinae gra- 1568. jul. 26.

tiae, quae nos confortavit, fecitque nobiscum, quod cum multis non fecit aliis; ut nimirum et pacis author fierim, et tot Scyllas atque Carybdes evitarem. In quo et Altissimus laudetur, et fortuna Caesaris praedicetur, cuius auspiciis omnes meae et virtutes, et felicitates, et honores omnia imprimis debentur. Quae coelitum recta gubernataque beneficiis, in nos quoque, qui illi adhaerescimus, derivat illustres suos radios et in orbe claros facit. Atque haec ad vestram gratulationem.

De privilegio autem, quod habere cupitis, scripsi ad meum Capitulum, ut illud vobis inquirant et exhibeant, ne libertas Ecclesiae vestrae Myslensis labefactetur, eiusque iuribus succurratur. Nam hoc fratres mei poterunt etiam me absente vobis praestare. Alioqui, quandocunque Camera ista Cassoviensis videbit illud privilegium, mox Praepositura vestra controversia ista liberabitur, et in coenobium Heremitarum de Laad transferetur propter possessionem Kewrem, cuius alienationis ab Episcopatu meo veram causam nunquam hactemus sum assequutus. Hac autem via, si vobis minus succurretur a fratribus meis, ego non deero, ubi primum paulo liberior a curia effectus fuero, et mea etiam potero percurrere privilegia. Et cum his optime vos valere cupio. Viennae 26. Julii 1568.

CI.

Verancsics Antalnak Radetius István váradi püspök.

Ad Antonium Verantium Episcopum Agriensem.

Reverendissime domine et patrone colendissime, salutem et servitiorum meorum deditissimam commendationem. Scriberem ad dominationem Vestram libentissime, si quid scribendum mihi esset; sed in hoc eremo nihil habeo quod scribam aliud, praeterquam quod in hac solitudine, procul a publicis negotiis, vitam in morem heremitae duco; Reverendissimumque dominum Locumtenentem prestolar, communicato enim inter nos consilis decrevimus termas ambo inire; ille ut sua curet edemata, quae patitur in pedibus, ego meam schiaticam. Aderit, ut spero, hisce diebus. Aliud, quod scribam, id habeo, quod bubonum noctuarumque ululatu, cum libet, plurimo fruor. Cum autem huius ululatus me cepit taedium, intercinunt aviculae cantus dulciores, quibus informes bubonum cantus repelluntur. Haec in his rupibus vastis prima mea est delectatio. Quod reliquum est, dominationi Vestrae Reverendissimae me meaque servitia deditissime commendo. Deus Optimus Maximus dominationem Vestram Reverendissimam servet quam felicissimam ad annos plurimos. Datum in Sancto Benedicto de Rupibus die 17. Augusti anno Domini 1568. 1568. aug. 17.

Eiusdem Reverendissimae dominationis Vestrse
deditissimus servitor et capellanus
Electus Varadiensis sk.

CII.

Draskovics György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Zagrabiensem.

1568. aug. 30. Proximis diebus viguerunt apud nos rumores quidam non satis lecti de istis partibus, et de persona Reverendissimae dominationis Vestrae. Nimirum quod Turcae Bosnenses obsessuri essent arcem Hraztowiczam, minarenturque etiam castello Sisiano; ceterum quod, quum personaliter quoque Reverendissima dominatio Vestra impositura praesidium maius in eandem arcem Hraztowiczam, proficisceretur eodem cum milite non exiguo, et iacturam fecisset in quibusdam militibus antesignanis ab insidiis hostium exceptis, et ipsa quoque met, subito suorum casu percussa, non sine difficultate effugii sese servasset. Qui rumores verine, an falsi fuerint, ego adhuc nescio; plures tamen hic, qui eandem amamus, doluimus. Ego autem nunc etiam doleo, et vereor, ne mea vaticinia eidem vel saltem tunc in mentem veniant, quum intercipietur (quod alioqui avertat Deus) insperato; parato alioqui quopiam periculo, quum ad obeundam tantam provinciam firmo ac sufficienti robore nullus, aut valde tenuis suppeditatur ei nervus contra tam populosae hostilis provinciae praesidem; ne nunc odiosius eloquar aliquid de professione nostra, cuius spiritualis gladius nullum admittit temporalem. Et sint exemplo nobis Petrus Berislaus, Paulus Tomoreus, Augusti-

nus Sbardellatus, et alii vetustiores, immo et recentiores complures, qui non Martis et Bellonae, sed Dei viventis ac Jesu Christi sacerdotes, ubi primum milites quoque utrorumque esse inceperunt, prius sublati sunt hac vita, quam quisquam credidisset, et virtus eorum fuisset cognita. Quod a me ut fraterne accipiat, rogo ; nec mihi vertat vitio, quod ex amore dico. Quandoquidem paucis senibus inter nos connumeratis et plane iam capularibus, quanti tandem ordo noster fieret, si quid Episcopo Zagrabiensi, ac Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano, vel (ut familiarius loquar) Georgio Drascovitio accidissent? Sed quia iam suscripsit oneri, et est in cursu administratio, caveat saltem a periculorum causis, neque se cum gregariis contra callidos et potentes hostes educi patiatur. Cura alioqui gubernandi non desideretur.

De rebus novis, quum hic nunc nihil habeamus, praeterquam quod et in Galliis, et in Belgio, prospere audimus Catholicis succedere. Non tamen omino sine quodam apparatu nonnullorum Principum Imperii in Belgium contra Ducem Alvam, qui dominationem inter se Hispanorum aversantur, nec ferre vellent, si qua ratione possent illos excludere. Gallus etiam manifeste iam Ugonitis obsistit; ex quibus proxime non paucos dicitur furcarum supplicio fecisse affici. Faxit Altissimus, ut ii saltem duo Principes a Deo Optimo Maximo nobis quam diutissime serventur sospites, qui soli Sanctae Ecclesiae nostrae Catholicae videntur restare protectores.

Ex Hispaniis quoque recenter tabellarii attulerunt, Principem Carolum, eius Regni Regis filium, qui captivus tenebatur, diem suum obiisse Julii proximi die 21. Noster autem summa sollicitudine parat

eo abitum, putoque sexta futuri Septembris iter ingressurum.

Classis Turcica, liberato Hadriatico Mari et eius accolis metu, in Aphricam cursum direxit. Nostra ex Hispanicis, Pontificiis, Melitinis, Florentinisque et Genuensium triremibus confecta, opportuno quodam loco ad inhibendos hostes, si quid in littoribus nostris attentare vellent, constitisse dicitur. Nec tamen iam vim aliquam experturos hostes nonnulli putant, propinquitate hyemis; nisi si extra Propontidem animum haberent hibernandi.

Maiestas autem Caesarea, dominus noster clementissimus, habet nuuc hic cum Austriacis suis conventum, nec adhuc quicquam conclusnm est certi. Sed et Maiestas Eius magnam ab illis exigit pecuniam, et ipsi ab eo confessionem Augustanam. Quid tandem consequiter de hoc utroque nodo, variae sunt coniecturae; quibus ego nunc ommissis, expectabo rei veritatem, et illam perscribam, ubi palam constiterit.

De conventu nostro magnum est silentium; credo alioqui futurum post Moravicum et Silesiacum. A Bohemico lues pestilens arcet Eius Maiestatem, quae eo Regno latissime grassatur.

Ego vero cum Reverendissimo domino Vesprimiensi sustinemus hic Regni Hungariae Consilium. Reverendissimi Locumtenens et Varadiensis in thermis Trinciniensibus curant suas quasdam aegritudines, et fortasse judiciorum etiam sudores ac molestias detergunt atque excutiant. De statu reliquorum nihil habeo, Vestramque interim Reverendissimum dominationem optime valere cupio. Viennae 30. Augusti 1568.

CIII.

Bernát sz.-györgyi apátnak Velenczében Verancsics Antal.

Ad Reverendum Patrem Bernhardum, Abbatem Sancti Georgii Maioris in portu Veneto.

Antevertisti, Reverende Pater, meum officium charitate tua, et complevisti illud Apostoli ad Romanos honorem invicem praevenientes. Quod certe, ut est rarum et optabile in fraternitate et vera amicitia, ita sane iam potes tu hanc perfectionis partem peculiariter tibi ipsi omni iure attribuere. Ego vero ut homo iam prae senectute tardior, quicquid in satisfaciendo promissis meis de scribendo ad te saepius, et mihi ipse defui, et tuam expectationem fefelli, amando, inquam, te, veniamque commissi postulando supplebo. Daturus operam studiosius, ut imposterum hoc a me officium non desideres, et vel saltem illud crebrius ad te scribam, bene me valere, tui semper memorem, et cupidum omnium quum felicium tuorum successuum incrementa optatissima, tum centimae incolumitatis tuae suavissimum cursum. 1568. sept. 3.

De gratulatione autem reditus mei cum desiderata pace ex legatione Turcica, deque Sacratissimi Imperatoris mei erga me gratia singulari, quam declaravit plurimis argumentis; quantopere illi placuisset mea industria, qua in demandata mihi provincia gesserim me apud tantum, tamquam superbum ac potentem barbarum, et perfecerim, quod multi quidem optabant, sperabant admodum pauci, propter partim bel-

lum superioris biennii, quod in mortem adegit Solymanum patrem huius Selymi, partim vero complura novarum rerum studia, quod plerumque eius gentis novi Principes mox a sumptis imperii insignibus experiri in hostes solent, — longa mihi quidem opus esset epistola, ut explere possem de tot rebus, quas illic gessi, desiderium tuum, tuaeque etiam gratulationi redderem par officium. Sed quum et occupationibus meis, quibus incessanter apud Maiestatem Caesaream distineor, non vacat scribere prolixius, et res, que sunt in archanis Principum, non est concessum ante tempus mitti in publicum, haec de his nunc sufficiant.

Ceterum magnas habeo gratias, quod tantopere laetatus fueris de his meis successibus, de quibus ego quoque non ommino mea, sed potius publica causa gaudeo, ut quietem et commodum capiant non solum finitimi nostri, sed et complures alii populi, quos ea lues labefactare, grassarique etiam in amicorum et confoederatorum oris iam incoeperit. Esto alioquin, quod et mea nonnihil gratia gaudeam, mihique ipsi pro hominum ingenio placeam, non eo tamen usque, ut quod precaris mihi, audeam ad id aspirare. Nam magni et praestantes viri, scientesque proferre in vinea Domini Sabaoth nova ac vetera, esse debent, quibus cardines Ecclesiae Sanctae Dei committantur. Alioqui quot sunt, Deus bone, hoc nostro saeculo, licentia latissime depravati, qui arripiunt turribulum cum Core, Dathan et Abyron, nec expectant, ut vocentur a Domino; qui certe melius novit, quinam sint digni ministerio altaris eius, quam nos, qui non spiritualiter, sed carnaliter Ecclesiae Sanctae functiones et dignitates ambimus. Unde et in tot tempestates, fluc-

tusque coniecta est Petri navicula, nec in suis tanto numero naucleris reperiantur admodum multi, qui opitularentur ei.

Verum ego, Reverende Pater, quorsum rapior a ratione et ab instituto epistolae in quoddam quasi commentarium, non satis assequor; nisi qnod calamum nequeam deponere, quum ad te scribam; existimans, me coram tecum colloqui. Ignosce igitur, si sim verbosior, et si etiam videbor peccasse tibi, non me, sed affectum meum castiges, reprehendasque desiderium, quo sum sane effusissimo videndi iam tandem tui aliquando, teque amplexandi et exosculandi osculo sancto, immo et renovandi veterem nostram consuetudinem. Quod quia nunc id non datur nobis, expectatione consolemur, quod fortasse diu nos non tenebit; quum ego totus sum in eo, ut et patriam, et amicos propediem invisam.

Reliquum est, de Archiepiscopatu Strigoniensi, de quo mihi gratularis, nondum est loquendum; de Cardinalatu neque cogitandum. Et interim omnia in Deum esse reiicienda, cui ut de omnibus, ita et de nobis est cura. Raphael autem commendatus est satis, nec frango illum odio, sed admoneo disciplina. Pater enim diligit filium, quem castigat. Ipse vero utinam sit is aliquando, quem tu mihi polliceris; non laboraret utique. Et spero talem futurum, quia tu non commendares illum tanto studio, nisi esses persuasus, quod ad frugem rediisset, quodque iam imposterum vellet etiam iudicio maiorum uti et consilio.

De te autem ipso, quod me scire cupias, intellexi; laetorque mirifice de promotione tua ad tanti monasterii praesulatum, gratulorque totis animis et communi nostrae patriae, quod tuis quoque virtutibus

atque honoribus illustratur, mecumque simul et sustentare, et propagare nomen eius contendis. Quanquam ego, etsi diu iam in hac palestra vires meas exerceam, levius tamen omnia illius gratia deinceps sustinebo, postquam talem collegam coelitus mihi adiunctum esse videam. Perge itaque constanti animo in incoeptis, diligenterque incumbe tuae valetudini; curemusque ambo pari sollicitudine, ut nec fortuna nostra desit illi, neque in nobis Divinam gratiam negligamus, quo et ipsa nostra patria gratos alumnos nos agnoscat, et sic in nobis operentur Dei beneficia, ut eius bonitas magis ac magis elucescat apud homines. Valeque optime et quam felicissime in Domino semper. Viennae 3. Septembris 1568.

CIV.

Verancsics Antalnak Dolfino bibornok.

1568. sept. 4. Reverendissimo Monsignor come fratello honorando. Io udij con gran piacere il ritorno de Vostra Signoria con salute della sua persona; e molto mi rallegrai del prospero successo della sua legatione per servigio particolare della Maesta dell Imperatore nostro Signore, e per universale benefitio della Repubblica Cristiana, come ella haverà veduto dalle congratulatione, ch' à mio nome ne fecero seco gl' agenti miei. Mi son poi doppiamente rallegrato con la venuta qui del Diotalevi, havendo da lui inteso à pieno dell' esser di Vostra Signoria Reverendissima,

essendomi da lui data l' amorevolissima lettera, che à lei è piaciuto di scrivermi. Io son qui con desiderio ardente di poter far qualche cosa per Vostra Signoria, et ogni occasione, che mi se ne porga, mi verrà sempre cara et accetta. Pregola à conservar memoria di questa mia buona volontà, et à valersene dove lo giudichi espediente. Che Dio Nostro Signore lungamente la prosperi et essalti. Di Roma à IIII. di settembre 1568.

Di Vostra Signoria Reverendissima

come fratello

il Cardinal Dolfino sk.

Kívül: Al Reverendissimo Monsigner come fratello honorando, Monsignor il Vescovo d' Agria etc.

In Corte Cesarea

Redditae Viennae 21. Septembris 1568.

CV.

Verancsics Antalnak Amulioi bibornok.

Reverendissimo Monsignore come fratello. Non risposi alle lettere ch' io hebbi da Vostra Signoria alla partita sua per Constantinopoli; perche conossi, che ella non poteva havere la risposta avanti la partita; hora ho ricevuto l' altre sue delli XII. luglio in racione di ms. Francesco Diotalevi Fanese suo gentilhomo. Pero in risposta dell' una et l' altra mi rallegro con Vostra Signoria, di quanto ella ha felice- 1569. sept. 4.

mente operato con la bonta et con il valore suo nelli negoci in Constantinopoli, dalla quale opera ne puo reuscire molto benefitio alla Cristianita. A ms. Francesco ho offerto la casa et tutta l' opera mia à favore suo, poi che mi viene molto strettamente racommandato da Vostra Signoria mio antiquo amico, et che puo disponere di me come di se stessa; ho fatto poi anchora diligenza di rivederlo, ma fino hora, forse per l' occupationi sue, non si è trovato. Di qua non ho che dire a Vostra Signoria se non, che Dio gratia sto sano da vecchio, et tengo memoria dell' amicitia nostra, et desiderio di fare per le ogni servicio; pero Vostra Signoria si vaglia di questo mio desiderio, et diami occasione di mostrarlo con veri effetti del amore, che le porto. Et Nostro Signor Dio la contenti sempre.

Di Roma di IIII. settembre de LXVIII.

Saprea volentiera se Vostra Signoria ha finita la sua historia, overo fin a che tempo sia arrivar lo resto. Tengo per fermo, chio conservo amorevole et honorata memoria della sua amorevolissima persona, et della amicitia nostra.

Di Vostra Signoria

buon fratello

il Cardinal Amulio sk.

Kviül: Al Reverendissimo Signor come fratello, Monsignor Vescovo d'Agria etc.

alla corte Cesarea.

Redditae Viennae 18. Septembris 1568.

CVI.

Radetius István váradi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum Episcopum Varadiensem Stephanum Radecium.

Vacationem Reverendissimae dominationis Ve- 1568. sept. 5.
strae praesentem a negotiis publicis ita cupio eidem succedere et laetam esse, ut non obscure illi invideam, ac me quidem certe si quis Jupiter eadem vacatione secessuque dignaretur! Equidem omni vitae ac frequentiae urbanae eremum istum suum cavernarum et rupium montis Carpathi anteponerem, bubonumque ac noctuarum ululatum pro suavissimis lusciniarum, carduorumque concentibus iucundissimum haberem. Quid enim homini variis animi dotibus praedito iucundius ac felicius queat contingere, quam, quum in se ipso habeat omnia, quaecunque aut urbanus, aut aulicus status suppeditat, nunquam tamen adeo solus in quavis vasta ac remota solitudine esse potest, in qua ne bubones quoque ac noctuae reperiantur; ut eorum suavissimam societatem non habeat, quorum virtutibus atque aeterno nomini neque mors, quae omnia delet, obesse potuit, et ex sese in dies tale aliquod pariat, quod eum oblectet longe magis, quam ullae opes, ullum bonum fluxile, ulla dominia, urbanaeque deliciae, aut splendores aulici. Ac mihi quidem iam seni, quam exoptata instiusmodi veniret solitudo etiam apud meum Znionem, in summis alpibus eiusdem montis Carpathi situm, et latissimis silvis obsitum,

obsessumque perpetuo horrore nubium. Si veniret Deus immortalis, quanta cum voluptate hos postremos aetatis meae annos, qui restant mihi, exigerem, satur iam terrenis honoribus, et aspirans ad coelestes. Ad quos certe pluribus nominibus invitamur, delapsi iam in senium defectn virium, oculorum caligatione, surditate aurium, imbecillitate stomachi, morbis denique plurimis, et quam multis similibus. Praesertim quod deliri a iuventute appellemur, qui eorum absurdissimas morum ac voluntatum actionumque novitates non probemus, semperque vetera illis ingerimus, urgemusque, ut sint frugi, maiorumque suorum disciplinam potius conservare adaugereque contendant, quam negligere et immutare studeant. Quam itaque dispari animo simus, abhorrente Reverendissima dominatione Vestra ab eremo, me vero illum exoptante, ipsa videt. Nec alioqui seiungit nos aliud in hoc discrimine, quam quod, ubi ego iam incipio desinere, Reverendissima dominatio Vestra occupat feliciter initium.

Quapropter et ipsa me, ut iam senem curis temporalibus, et munerum Reipublicae administratione, vitaque prope fatigatum, habeat excusatum, et optantem statum solicitarium non condemnet eadem, interim et monita et rogata, ne patriae, statim in limine honorum suorum, tam felicia fortunae suae primordia, hoc statu eius turbulentissimo, denegare ac subtrahere velit. Educavit enim eandem a parvulo, ut optima parens; nunc iam in viro, eoque sane apud eam non postremo, et opem, et operam suam desiderat. Hoc maiores nostri praestiterunt illi; hoc et nos hortatur illius pietas, et successionis ordo cogit; ut qui iam in functionem eorum successimus, succedamus etiam

in procurandae salutis eius curas. Quibus cum iam ego ab annis ferne XL navo operam, Reverendissima dominatio Vestra, mi Radeci, quae nunc incipit, capessat partes sibi a Principe impositas, nec Divinae vocationi desit, quae est, ut patriae casus atque pericula sublevare pergat; neque desistat, antequam ad senium accesserit. Sic demum ipsa chara superis conscendet aethera, et in terris nomen relinquet gloriosum et immortale, patriae vero, dum stabit frueturque incolumitate, semper erit desiderabilis.

Bubonum autem et noctuarum ubi lugubres cantus ac feralem ululatum pertaesa fuerit, relinquat istas Carpathi montis rupes atque cavernas cum suo amne Vago, cum sua sycera, cumque suis noctuis atque bubonibus, seque Pernonem ad Noricorum montium ferreum recipiat promontorium, ubi pro cavernis ac rupibus amoenissimos colles et campos, pro tristibus inauspicatisque bubonum ac noctuarum sonis habebit aviculas laetissimi concentus, proque Vaghi lymphis et amara sycera amnem Pinquam et vina suavissima, melioraque phalernis potabit, frueturque aperto coelo, nec includetur nivosis montibus, nec hyemes tolerabit longiores, quam Tyberis ac Padi tolerat accola. Velit tantummodo bonis suis frui. Valeat quam optime, et quam diutissime. Viennae 5. Septembris 1568.

CVII.

Diotalevi Ferenczнek Veranesics Antal.

A ms. Francesco Diotalevi.

Le vostre del 23. d' agosto, che furon prime
1568. sept. 17. doppo la giunta vostra a Roma alli 11. del instante, mi sono state appresentate. Ne vi posso dir altro in risposta, suol che ho preso grande contentezza d' animo, poi che prima da Soa Signoria nostro Signore, e poi dalli altri Illustrissimi e Reverendissimi signori Cardinali Alexandrino, Farnese, Morone, Amulio, et etiamdio dal Reverendissimo et honoratissimo mio fautore Rusticucci siate stato benignamente veduto. Faccia Iddio Signore, ch'io anchora habbia da sua Divina Maesta qualche occasione di poter con la effettiva gratitudine mia remeritar tanta benignita di Soa Santita, e benevolenza de si rari et eccellenti Prelati dela Santa Chiesia. E se con altro no, almeno con le mie orationi, e con tutta quella servitá, che saprano poter esser in me per i loro contenti e sodisfattioni. E voi, che costa, sete la mente, il volere e la lingua mia, suplirete il resto, dechiarando primieramente questo mio bono et humel animo, che tengo sempre al commodo della Santa Sede Apostolica, et honore del Summo suo Sacerdote e deli santi padri, che sostengono quella con la loro prudenza, sapienza e vita, che et Iddio odora sempre con grandissima soa contentezza, et il mondo alla giornata prende sume dello etterno albergo, farete, ovunque bisognara li debbiti

miei ringratiamenti et oblatione, che si convenga. Di resto non ho che scrivervi altro, se non, che tutto 'l successo delle commissioni a voi date, havete negotiato con tutti li debbiti modi, e con piena nostra sodisfatione; esortandovi anchora, che principalmente vi sforzate di mantenermi in buona gratia del Illustrissimo e Reverendissimo mio signore colendissimo Alexandrino, e signor Rusticuci. Ne occorendomi altro per hora, state sano, e scriveteme spesso. Da Vienna alli 17. di settembre 1568.

CVIII.

Verancsics Antalnak az alessandriai bibornok.

Molto Reverendo Signore come fratello. Ho letta 1568. sept. 22.
la lettera di Vostra Signoria de XII. di luglio con molto mio piacere, et ascoltato volontieri ms. Francesco suo nella relatione, che mi hà fatta del viaggio, et del negotio trattato dallei in Constantinopoli felicemente in servitio di Soa Maesta Cèsarea, et in benefitio universale di tutta la Cristianità. Laquale ragionevolmente dovra haverglieno altrettanto obligo, quanta è stata veramente la consolatione, che ne hà presa Nostro Signore, sicome havrà facilmente potuto comprendere il medesimo ms. Francesco dalle parole di Soa Santita. Il quale, per esser molto ben informato dell' animo mio verso di lei, et della memoria ch' io intendo havere dei molti meriti di Vostra Signoria, et in spetie dell' amorevolezza usata dallei

verso di me con si rare et belle cose donatemi a nome suo, non dovra mancare di darglieno conto particolare in nome mio. Onde rimettendomi in questa parte alle parole sue, le renderò quelle gratie maggiori ch' io potrò di questo suo cortese offitio, offerendomi pronto ad ogni commodo et benefitio suo, et pregandola intanto a valersi di me, et à tener conte del prefato ms. Francesco. Il quale e stato giudicato da Soa Santita et da me degno suggetto d' esser amato, et stimato dallei. La quale il Signor Dio conservi et consoli di cioche desidera. Di Roma à 22. di settembre 1568.

Di Vostra Signoria molto Reverenda

come fratell

il Cardinale Alessandrino.

Kivül: Al molto Reverendo Signore come fratello, Monsignor il Vescovo di Agria, Consiliere di Soa Maesta Cesarea etc.

CIX.

Diotalevi Ferenczuek Veranesics Antal.

A ms. Francesco Diotalevi.

1568. sept. 24. Questa mia presente vi sara per aviso, che per la posta prossima rescrisse alle prime vostre, che mi deste doppo la vostra giunta a Roma, et havuta l' audienza de Soa Santita nostro Signore, e delli Illustrissimi signori Cardinali miei padroni e padri tutelari.

Delle altre cose de qui non ho a scrivervi, suol che parte degli conseglieri Hongari chiamati da Soa Maesta, sono arrivati, e penso, si trattara de piu cose pertinente ala nostra Repubblica.

Io lasciati il signor Leporino Propertio physico, e Pietro chyrurgo, m' ho dato nelle mani del signore Allegrio, e gia mi sento vie piu megliorare in quindeci giorni dela sua cura, che di tre mesi di quello faxit dominus Benedictus, ut respondeant ultima primis.

Ne penso, siate ieiuno delle dicerie de qui di molti, et di nostri oltra ogni dovero. Perho non havendo voi havuto da me commissione alchuna sopra le dicerie, che si fanno dalli emuli, ezzetto di visitare la chiesa delli Santi Apostoli, e basciare li santi piedi de Soa Beatitudine, con fare la humile reverenza a certi Illustrissimi signori Cardinali. Avertite bene, di non mover alchuna cosa, per la quale io potrei esser giudicato veramente ambitioso di gradi, che non si convengono alla mia piccolezza, e li quali bisogna espettare da Iddio; il quale conosce molto meglio, che sorte d' homini fa per la soa Santa Chiesia, e per il suo eccelso altare, cha noi alchuno bassissimo gregge siamo degni di presumere et usurpare a guisa di core, tanta alta funtione e ministerio della Divina Soa Maesta. Piu vi potrai raggionare sopra cio. Ma sapendo voi ogni mio intrinseco, e qualche mi schifo sempre di persuadermi troppo di me stesso, cesso dir altro, e lascio 'l tutto alla prudenza vostra. State sano. Da Vienna alli 24. di settembre 1568.

CX.

Faseolo Jánosnak Veranesics Antal.

Ad Io. Faseolum.

1568. okt. 1. Excellentissime Doctor, domine et amice mihi honorandissime. Ut magna fiducia proximis diebus cupieramus, nepotem nostrum in tuum contubernium, inque scholam virtutum tuarum collocare, ut aliquando cum summa nominis ac famae tuae gloria potuisset in luce hominum commemorare, quod potissimum sub te praeceptore bonis litteris profecisset; ita sane primum tui senii, deinde multorum etiam plane diuturnorum laborum ac vigiliarum, quas ad splendorem tanti gymnasii per omnem aetatem tuam conferre studeas, aequo animo excusationes tuas accepi; teque rogo, ut ignoscas mihi, si qua in hoc a me importunitate affectus fueris. Nec enim urgeo imprudenter, quod nequit fieri; nec propterea ita desinam te et amare, et virtutes tuas magni facere, ut amicitiam, quae inter nos causa huius negotii sumpsit exordium, nolim perpetuo apud me in usu conservare. Habeas itaque persuasum, te mihi esse charissimum, nihilque etiam me occasionum praetermissurum, quaecunque mihi offerentur ad benemerendum semper de tuo optimo nomine, et de eruditionis tuae celeberrima fama. Ne autem omnino curam nepotis mei intermittam, Magnificus vir Zacharias Scaramellus, civis Venetus, venturus est Pataviam, ut eidem nepoti meo alia via prospiciat. Qui si aliquo casu te quoque conveniet

consilii petendi gratia: te rogo, ut illi adsis tuo et consilio et auxilio, ut quod quaerimus, vel inprimis ope tua assequamur, et habeamus aliquid, quo tibi jure et merito debeamus. Bene valeas, et sis diutissime felix. Viennae prima Octobris 1858.

CXI.

Verancsics Antalnak Draskovics György zágrábi püspök.

Reverendissime Domine, frater observandissime, salutem et servitiorum meorum commendationem. Redditae mihi sunt binae litterae dominationis Vestrae Reverendissimae, quarum unae datae fuerunt 12., alterae 30. die praeteriti mensis Augusti. Quae non potuerunt mihi non esse multis nominibus gratissimae, maxime tamen ob amicam et fraternam sollicitudinem dominationis Vestrae Reverendissimae, qua me et res meas prosequitur. Ut autem breviter ad easdem dominationis Vestrae Reverendissimae litteras respondeam; noverit eos rumores, quos scribit eo perlatos fuisse falsos. Hoc quidem verum fuit, me una cum collega meo et aliis dominis regnicolis, mense Augusto, cum octo millibus (vel circiter) hominum peditum et equitum, in castra descendisse, ad hoc persuasi, tum quia metuebamus obsessionem Hraztoviczae vel Sisij; tum quia flumina ita eo tum decreverant, ut hostes facile transire potuissent; tum quia milites nostri non pauci in finitimis locis peste sublati erant. Ita si hostes animadvertissent, nos re- 1563 okt. 8.

bus nostris minus advigilare, procul dubio aliquid tentassent. Sed cum paratos nos viderunt, nihil tentarunt; neque iacturam in militibus fecimus, neque ego in fugam versus sum, neque aliquis me aut meos in iis locis atque eo tempore persecutus est. Nihilominus Vestrae dominationi Reverendissimae pro eo dolore, quem ex huiusmodi rumoribus conceperat, habeo maximas gratias. Hoc negare non possum, quemdam iuvenem capitaneum meum iam antea in confiniis Sclavonicis prope Dombro interceptum fuisse, et ad Portam Caesaris Turcarum abductum: sed Deo sit gratia, huius unius loco simul quinque agas apud me in compendibus vidi sedentes, quales nunc quoque carcer meus habet. Id quidem, quod dominatio Vestra Reverendissima mihi iam antea consuluit, et nunc quoque suis litteris consulit, ne incautus per silvas oberrem, nt quondam fecit Petrus Berislaus et alii, quos nominat dominatio Vestra Reverendissima, grato accipio animo; et me diligenter cavebo, ne me periculis manifestis exponam imprudens. Quamvis fieri non potest, ut ab omnibus periculis et vitae discrimine liber sit, qui in confiniis versatur. Hoc tamen agam, ne videar me vel meos, hasque reliquias ultro in apertum coniecisse periculum. Novi eos, qui pericula amant, frequenter in iis perire. Quod si horum confiniorum res, et Caesareae Maiestatis voluntas pateretur, libenter me ab huiusmodi curis et sollicitudinibus ac periculorum metu liberarem, atque in otio et securitate viverem. Neque etiam pretio aut precibus meis mihi Banatus officium contigit; quod Reverendissima Vestra dominatio certius cognovisset, si sibi Constantinopolim properandum non fuisset. Sed frequenter a dominatione quoque Vestra Reverendis-

sima audivi, non esse reluctandum Principibus, et non expectandum, ut servitores ab ipsis rogentur. Ego vero non solum expectavi Principis petitionem, sed etiam quodammodo indignationem Suae Maiestatis mihi meis iustis et honestis excusationibus paraveram. Itaque quamdiu potero, et Deus volet, officium judicis, quod ad Episcopum proprie pertinet, (geram), et defensionis pauperum curam habebo. Nihilominus tamen admonitionem dominationis Vestrae Reverendissimae fraterno et grato accipio animo, tanquam ab amico et rerum experto ac prudente viro profectam. Vicissimque dominatio Vestra Reverendissima fraterno et benevolo animo accipere velit, quod eam admoneam, ut visa paucitate Episcoporum Hungariae sacrificantium, aliaque officia episcopalia obeuntium (nam praeter Reverendissimum dominum Locumtenentem et me nullus est), velit iam tandem et sacrificare, et sacerdotes ordinare, qui in Hungaria paucissimi sunt, et alia ad episcopale officium spectantia perficere, quod eandem et velle et posse non dubito. Id si intellexero, nihil gratius mihi accidere poterit. Et hoc non ideo scribo, quod Banatum meum excusem, a quo amicorum, et inprimis dominationis Vestrae Reverendissimae opera me, Deo volente, expleto anno liberum fore spero; sed ut fraterno officio et conscientiae meae satisfaciam. Video enim negotium Agriense, et in spiritualibus, et in temporalibus, longe rectius processurum, si dominatio Vestra Reverendissima episcopale munus exerceret, et Agriae potius residentiam faceret quam Viennae. Nam vix crediderim, ullum esse vel inveniri posse ullibi, qui et mores Turcarum rectius nosset, et loci illius defensioni commodius prospicere posset. Sed haec, ut dixi, valde

confidenter et fraterno animo scribo. Vestra dominatio Reverendissima ipsa pro sua prudentia consideret, quid honestius et utilius sit futurum, et esse possit.

Pro novitatibus Vestrae dominationi Reverendissimae ago gratias; atque eandem obnixe rogo, ut, dum in aula fuerit, dignetur saltem de rebus communibus ad me scribere.

Hinc scribi nihil potest, quam quod satis pacifice vivimus. Nullibi apparet exercitus hostium. Plagiarii tamen suum faciunt officium, et miseros homines in confiniis, ubi possunt, abripiunt et abducunt. Vini hoc anno non habemus magnam copiam, sed milio abundamus; unde in annum futurum famem non timemus.

Hisce diebus ordinavi subdiaconos, diaconos et presbyteros, et habeo plebem satis obedientem et religiosam. Tum etiam, quae ad defensionem confiniorum pertinent, mihi et curae et cordi sunt; hocque studio summo efficere conor, ut omnes meae fidei crediti, et haec confinia, et adiacentes provinciae, quiete et pace gaudere possint.

Deus conservet dominationem Vestram Reverendissimam diutissime incolumem. Datum Zagrabiae 8. Octobris 1568.

Reverendissimae dominationis Vestrae

servitor et frater

Zagrabiensis mp.

Kívül: Reverendissimo Domino Antonio Verantio Episcopo Agriensi, ac Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario, domino et fratri observandissimo

CXII.

Verancsics Antalnak Farnese bibornok.

Molto Reverendo Signor come fratello. L' affet- 1568. okt. 19.
tione che Vostra Signoria si è compiaciuta di portarmi gia tanti anni, come per la sua humanissima lettera, et insieme la bocca di ms. Francesco Diotalevi suo agente mi vien significato, mi obbliga tanto maggiormente alla debita corrispondentia verso di lei, quanto io meno la posso haver meritato seco fra questo tempo, non essendo stato tra noi comercio alcuno, ne io haveva havuto di lei altra notitia, che quella, chel suo buon nome alcuna volte mi ha portato alle orecchie. Ma se per lo avenire mi si presenterà occasione, con la quale io possa in qualche parte meritar quello, che per l' adietro non ho potuto meritare; non mancherò di far conoscere à Vostra Signoria, ch'ella non s' inganna punto nel giudicio et nella confiidentia, che mostra haver di me in questa partè. Et perche dal suo medesimo agente ella potra essere pienamente ragguagliata di quanto è passato sopra cio tra lui et me, non mi distenderò in altro per hora, che in offerirmi pronto ad ogni commodo et honor suo. Cosi Nostro Signor Dio la conservi. Di Roma a XIX. d' ottobre M.D.LXXVIII.

Di Vostra Signoria

come fratello
il Cardinal Farnese s. k.

CXIII.

Draskovics György zágrábi püspöknek Verancsics Antal.

Ad Reverendissimum dominum Georgium Drascovitium Zagrabiensem Episcopum.

1568. nov. 10. Superiores litteras dederam ad Reverendissimam dominationem Vestram, non, ut eam ab officio strenue gerendi Banatum deterrerem; sed ut periculi duntaxat familiariter admonerem, de quo tanti apud nos rumores ferebantur. Monebarque ad hoc genus officii singulari amore, quo eam prosequor, et summo studio, quo vellem et honori et incolumitati eius esse consultum. Praefecturam autem istam, ut apud nos elapsis saeculis clarissimi praesules tenuerunt, gesseruntque magna cum gloria, ita certe hoc tempore neminem video, cui dignius conferri debuerit. Probavique magnopere et iudicium et consilium, immo et decretum Caesareae Maiestatis de hac ipsa electione eius; de qua bene etiam contentam esse intelligo, quod in dies aliquid argumenti capiat, quo virtus Reverendae dominationis Vestrae iudicio Maiestatis Eius semper quodpiam de se addit incrementum. Quod quidem Divinum beneficium, ut perpetuo illi prosperet, etiam atque etiam percupio: laetus admodum, eos numeros non solum fuisse falsos; sed etiam quod hostibus frontem, non terga verterit, eosdemque castris partim tanto numero virorum fortium frequentibus, partim praesentia sua terruerit. Pergat itaque feliciter, et sublevet patriam, toto iam flore virorum orba-

tam, et labentem ad extrema. Nec antiquae gentis nostrae gloriam virtute ac fortitudine sua, quoad eius fieri poterit, sustentare ac tueri desinat. Mundo quoque ostendat, eos summos viros esse, quibus ultimis rerum necessitatibus salus tutelaque reipublicae commendatur.

De meis autem sacrificiis, deque meo sacerdotio non attinebat (uti arbitror) commemorare, si ego quoque nec sacerdotium meum otio transigo, nec inutiliter sacrifico; ut qui vel hac legatione Turcica et incolumitate et vita mea (haud quamquam LXIV annorum aetate retardatus) devota patriae etiam litaverim, pace toti genti nostrae, ac plurimis Christianis relata, mihi vero ipsi gravissima aegritudine comparata. Cuius, inquam, pacis causa, nisi ego periclitari constituissem, abnegato sane etiam me ipso pro Dei populis; heu, quot hucusque Christiani et caedem pertulissent, et in captivitatem devenissent. Immo ne ista quoque Reverendae dominationis Vestrae confinia quiete ac securitate, de qua scribit, fruerentur.

Quod quidem an sit sacrificare nec ne, iudicent, qui affectibus carent. Si tamen mea et Reverendae dominationis Vestrae sacrificia aequa lance librabuntur, haud dubie cognoscetur, non eius sacrificiis, sed meis, omnem quietem ac securitatem tam multorum populorum esse deferendam. Minus tamen aliena merita hoc tempore (uti video) aestimationis habent, dum quique mortales extollunt sua, et frequenter meminerunt, quoties singulis sabbatis ieiunent, quot elemosinas erogent; supputantes insuper etiam talentorum suorum exercitia. Ego interim intra sinum, et summisse intentus rebus meis, non sugillans alienos, satis contentor pro hoc ipso tempore, quod mea quoque

non sunt talenta mihi otiosa, et tantum in suo genere conferunt nostrae reipublicae (nisi etiam me fallit mea opinio), quantum cuiusque sua. Juxta illud Salvatoris, qui insignitis, et instructis diversis gratiarum, ministrationum, operationumque donis spiritualibus ministris Ecclesiae suae, non certe fecit omnes Apostolos, non omnes Prophetas, non Doctores; non item omnibus dedit virtutes curationum, opitulationum, gubernationum, linguarum genera, et interpretationes sermonum. Quando et divus Paulus scribens ad Corinthios palam professus fuerit, non esse se ad baptizandum missum. Num propterea non fuerit Apostolus? num cum aliis Apostolis de eodem spiritu non participaverit?

Evangelizent itaque alii in populos verbum Domini; alii ordinent acolytos, subdiaconos, diaconos et presbyteros, cleroque augeant Dei Ecclesiam, et laetentur, quod habeant plebem religiosam, piam, pacificam, obedientemque et perfectam in Domino. Quod profecto et laudabile valde est, et maxime expetendum esse affirmo. Verum vicissim debent in iis esse et alii aliqui, qui praediti alio talenti genere, curent industria sua, quo haec in otio et in pace ab iis, qui domi manent, obiri possint, necesse est. Si itaque duobus nobis diversae proprietatis ac muneris data sunt talenta, eaque uno atque eodem spiritus affectu ad reipublicae nostrae commoda conferimus, equidem nescio, in quo inter nos discrepemus.

Quare suadeo, ut sedulo et sacrificent et concionentur, et presbyteros pariant omnes illi, quibus celerius datum est tempus suum ad haec obeunda. Meum, si nondum concessit mihi Dominus, quod interim aliis me ministeriis suis exercere voluerit, ut omnipotens,

et cuius consilia nemo novit, ipse pro me loquatur, measque partes tueatur. Qui forte fortuna noluerit me eodem tempore, et sacris suis operari, et prophanis, seu Mamonae operam dare; quum et Christus dixerit, sacerdotes non posse duobus Dominis inservire, alterumque omnino esse deserendum, ut commodius alteri mos geratur.

Verum, arbitror, brevi me iam liberatum iri ab hoc opprobrio, nisi me et opinio et desiderium meum fallat. Nam hinc senio, hinc aegritudine redditus ad profana munia imbecillior, quae fortasse una erit mihi e postremis, recidemus tandem ad peculiarem professionem nostram, incipiemusque gratificari amicis nostris hoc officii genere, postquam tantopere genuina nostra functio desideretur ab illis in Ecclesia. Quo tempore ad Agriae quoque curam vela convertemus Caesare permittente. Quam ut nos sumus eius voluntate, ita et Reverendam dominationem Vestram putamus esse in Banatu. Quod et litterae eius ad me datae testantur, et plane videmus, non ecclesiastica temporalibus, sed temporalia ecclesiasticis hoc depravatissimo saeculo sarciri, et contineri ab extremis malis. Idque certe praepostere et licentia, praesumptioneque Divinas ordinationes nimis habendo familiariter. Quod qui faciunt, ipsi viderint. Ego tamen ab Episcopatu meo non refugio, et redire in eum sane percupio, modo is velit, qui iam de hoc a me interpellatus aliquoties, nec ipse adhuc vel ipso nutu, nedum verbo significavit, quidnam velit, nec ego ad eloquendum intempestivius urgeo, ne imprudens habear, et infensum mihi reddam. Quum saepenumero difficilius sit veteres Principum gratias recuperare, quam obtinere novas. Atque haec de sacerdotio et sacrificiis.

De novis vero rebus, Máiestas Caesarea ad XXIII. instantis mensis proficiscetur Lincium, denuo Viennam reditura ad Natalis festa, et nostra Comitia, quae habebimus circiter Epiphania Domini. Imperatrix peperit filiam Leonoram. Regina Hispaniae in partu obiit. Cardinalis Commendunus saepius est cum Caesare, neque adhuc scitur, quid rerum tractet. Nostra iudicia fervent. Noster quoque Franciscus Forgach nuper ad Transylvanum transiit, spe quam optima, nescio; nota tamen tali, qua parum certe illustrabitur. Sed de eo ulteriora expectemus, postquam dubium nobis patefecit de discessu suo a fide Caesaris. Similes enim mutationes status nequeunt subito venire hominibus ex sententia. Et interim saepenumero subrepit nequicquam paenitudo, nota etiam inflicta fronti et minora nacti, quam sibi vana cupiditate promiserant. Sbardellatus soli iam uxori cognitus, latet Cracoviae in obscuritate non praevisa.

De bello Belgico et Gallico tam multa et varia ad nos etiam perferuntur, ut uberius de illo scribere non audeam. Concurrerunt (uti nunciatur) Germani Principes sub Orangis signa contra Ducem Alvam ad XXXVIII, nituntur que Germani copiis multo maioribus, quam Hispanus. Tantummodo dispares sunt animis et facultate nervi bellici; quod utrumque Hispano abunde suppetit. Germanus quoque pressus penuria commeatuum, Mosellam amnem, qui exercitus dirimebat, de improviso, magis necessitate famis, quam belli ratione ductus, transmisit, effususque per quasdam obvias civitates minus emunitas, magnas in illis praedas egit, et sic sustentavit copias. Putantque, quod hac rerum penuria, et offensione civitatum, pro quibus arma sumpsit, coactus celerius, aut in aciem

ad pugnandum descendet, aut desistet a conatu, urgente iam etiam bruma militum nuditatem. Hispanus caute agit omnia, speratque, quod mora hostes franget; quum et in campo robur habeat virtute quam magnitudine validius, et potitur munitissimis civitatibus, virorum armis instructis. Nec hostis, sed suo pugnabit arbitratu.

In Galliis aeque tumultus bellici recrudescunt. Rex proscripsit omnes haereticos prementes Gallias, iussitque toto Regno suo excedere, quicunque ad Ecclesiae Romanae confessionem, et ad ipsius Regis obedientiam non reverterentur. Habet (uti afferunt tabellarii) XXX millia peditum, equitum vero cataphractorum XX. In quibus eum quoque in persona affuturum, et fortissimo animo incoeptum bellum prosecuturum affirmant, nisi rebelles resipuerint.

Conde multa apud Pictones molitur, ac movet, ut contra Regem novas vires reparet, sollicitata etiam Regina Angliae pro suppetiis; sed nondum attolli potest. Nec vel in tantum conatus suos promovet, ut castra habere queat; maiorem turbam vagorum hominum, quam virorum militarium secum trahens.

Praeclarum quoque incidit hoc tempore et Tolosatum facinus in Aquitania; palam testati, qua fide essent cum erga suum Regem, tum in Catholicam Romanam Ecclesiam constantia. Effuderant sese in eorum populorum ditionem magnae Ugonotorum copiae, eamque urbem captantes, quo in illa sibi arcem belli constituerent, late viciniam ferro flammaque vastarant; impositis quoque per opportuna Catholicorum municipia praesidiis; pedicis etiam constringere incoeperant. Tolosates mature occursuri subito peri-

culo, in cruciatam (simile quoddam maiorum suorum vetus exemplum imitati, qui eius temporis haereticis hunc in modum restiterant) concurrunt, signa Regia erigunt, armatique Ugonotis declarant, omnia se prius in mortem tentaturos, quam ut ipsis sese adiungant. Sic delusi, ac prope territi perditissimi sectarii destiterunt et a consilio et a conatu. Nec alia de his postea sunt allata.

Quorsum sutem iam hoc earum partium bellum sit postremo evasurum, varie homines opinantur. Faxit Omnipotens, ut Catholicis victoria cedat. Turpe tamen est illis Principibus, adeo feroces esse in invicem, in Turcas nec armari se scire; quumque praesens opportunitas maxime suaderet in eos conspirare et insurgere, in seipsos et iras, et tela convertunt. Nam Turca nunc occupato rebus novis Persae, quem dicunt cum Hyrcanis, Parthis, Curtis, hoc est Mesopotamis, et Arabibus Rubri Maris accolis, percusso foedere, contra Ottomanum arma sumpsisse; nostri quidem Principes, quasi Deus has illis oportunitates in sese saeviendi obtulisset, nihil minus cogitant, quam de communi hoste insequendo. Et ad haec, quum solos duos Principes, inter sese patrueles de domo Austriae habeat orbis Christianus, veluti duo numina sua tutelaria, quorum alter terra, alter mari statum, libertatemque Christianam tuetur a tyrannide Turcica: tantum abest, ut ii, de quibus sermo est, hos eorum tam pios conatus iuvare cogitarent, privata duntaxat sua curantes; ut etiam hoc tam ardenti atque ultroneo studio, Christianas iniurias ab acerrimis hostibus illatas vindicandi, offendi videantur. Quantum praeterea alteri nulla suppeditare volunt auxilia, invidi eius virtuti ac potentiae adversantes, ne fortius

invalescat et inclarescat latius; tantum alteri propriae facultatis detrahunt ad prosequendam publicae omnium salutis propugnationem, distinendo illum partim a gerendo bello contra Turcas, partim in Christianos lacescendo, ne ipse quoque de memoratis hostibus triumphando, religionemque Catholicam ab haeresibus defendendo, magis illustretur et fiat gloriosior.

Sed, o quorundam similium caecitatem nimis sane crassam! si sit modo caecitas, et non potius meditata malignitas. Qui coacto Philippo arma a Turcis avertere, in Christianos vero convertere, et in eorumdem perniciem, dum a rebellibus suis defendit sua, opes suas prodigere, triumphum sese retulisse arbitrantur; quum interim imperio maris in potestate hostium relicto, Hungariaque cum provinciis suis magis ac magis in casum destituta, et hos Christianitatis unicos defensores imbecilliores omnino ad tutelam publicam reddunt, et ipsi ineptientes inter sese inaniter, non prius discere et scire belli gerendi rationes contra Turcas inibunt curam, et studium amplectentur, quam in medias usque Germanias iidem (quod Deus avertat) illapsi hostes, e stratis eos excitare incipient. Magno equidem cum dolore ista scribo. Sed valde falluntur meo iudicio, qui tanta rerum suarum felicitate hausti, cogitent de his meliora, nisi ad salubriora consilia mentes suas revocabunt. Et vaticinium non est difficile, si ad Evangelium attendimus. Quippe quod iam nulla natio in Christianis est, quae non sit intra se divisa, quae intestinis armis non deflagret, non mutuis seditionibus conflictetur.

Verum ne sim prolixior, postquam et de novis rebus Reverendae dominationi Vestrae satisfeci, et de sacrificiis meis reddidi in parte rationem; precor

eidem a Divina Maiestate omnia optima atque felicia; immo et eam gratiam, ut quod aliis dixit impossibile esse, ipsi faciat possibile. Nimirum, ut in utraque functione spirituali ac temporali aeque illi cuncta succedant ex sententia. Valeat quam optime et quam felicissime. Viennae 10. Novembris 1568.

CXIV.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

1569. jan. 7. Quid in causa sit, quod actenus Faustum ad me non miseris, plane nescio; sed arbitror, quod ab hyeme peperceris teneri eius aetati. Quod et ego probo; quia hic etiam tanta frigora et tam fortia saevierunt per Decembrem totum, ut plures homines occiderint in itineribus. Sed iam spero remissiorem futuram, vosque curetis, ut quam primum huc mittatur. Cui iam honestissimum, et bene natum ac doctum juvenem Hungarum disposui, quem adiungam illi propter respectus meliores. Nos iam in apparatu sumus descendendi Posonium ad Comitia, in quibus quicquid fieri debebit de summo Regni huius sacerdotio, eadem Diaeta demonstrabit, mihique tanta spes undique iniicitur de accessione eius, ut iam mihi ubique publice et palam gratulantur. Sed quum adhuc ego nihil a Caesare intelligo, solitum silentium et expectationem urgeo. De fistula mea hoc est, quod gesto illam cum

pudore sine molestia. Cauterium etiam, quod mihi aperuerunt medici propter tumorem quendam catharricum in clavicula pectoris iuxta iugulum, iam positum extra periculum, post multam ulceris purgationem consolidatur, et ad finem deducitur. Sed fortasse adhuc haerebant aliquae reliquiae catharri in artubus meis, quas ex toto salsae parigliae potus non exaequat, in pedes mihi descenderunt sub podagrae nomine, dextrum imprimis pedem torserunt mihi ferme per octo dies, iam sinistrum torquent occupato calcaneo, perstricto etiam genu dextero. Has etiam ex lecto ad vos dedi, superatis doloribus, et expectando, ut vestigia figere possim. Vobiscum vestra quomodo egerit per hanc hyemem, postquam in aestate habuerit propitiam, scire cupio. Quod ad Petrum et Magdalenam attinet; recte valent, nec eos domum mittere ausus sum brumae duritie; ubi primum tamen mitescent frigora, expediam illos. De novis nostris aliud scribere nequeo, quam quod maiorum nostrorum nepotes seniorum suorum transitiones in parte Transilvani facere egressi sunt. Nam Andrea Duditio Sbardellato permutato Episcopatu in coniugium puellae cuiusdam Polonicae, et in tenebris luce sibi collocata; Franciscus Forgach olim Varadiensis cum Vladislao Julaffy ad Transilvanum relicta fide Caesaris transierunt. Fac sit Deus, ne apud nos novae turbae, similes tamen veteribus exoriantur. Perditissima gentis nostrae ingenia nequeunt conquiescere, etiam tot maiorum suorum recentibus exemplis edocta, adeo in praeceps ruit, et extrema rerum suarum sibi invitat Quod reliquum est, bene vos valere optamus. Viennae 7. Januarii 1569.

CXV.

Stekelius Anzelmnek Verancsics Antal.

Ad Anselmum Stechelium.

1569. jan. 16. Magnam mihi voluptatem attulerunt tuae litterae, quibus plane perspexi, quantopere me et amares et coleres. Et licet nullum unquam me dubium subierat, quod essem apud te imprimis, quos observare et Musis tuis laudare consuesti; tamen his tuis litteris, nescio quo pacto, sed clariore quodam testimonio fidem fecisti mihi, me tibi prae multis amicis tuis esse charissimum. Quo ego et delectatus sum mirifice, et multo etiam vehementius adductus, ut te vicissim sic complectar, et in intimis meis habeam, ut aliquando certis intelligas argumentis, non frustra te amasse, coluisse et observasse Verancium. Sis itaque firmissime persuasus, nunquam tibi hunc animum meum defuturum.

Ubi autem obligatum te mihi esse ais, propter liberalitatem meam, quam in te quandoque conferre non recusavi; mecum te haud quaquam volo uti hoc vocabulo. Quia quicquid in te beneficiorum meorum contuli, id tuae datum est eruditioni et virtuti. Et quia dotes animi praecipue regunt res humanas, et ex illis plurima commoda in mortales diffunduntur et derivantur; vos potius, in quibus huiusmodi naturae bona et dona Altissimi elucescunt, ceteris et honoratiores esse, et nominibus multo clarioribus dignari appellarique debetis. Tu itaque et eruditioni et virtuti tuae,

hisque etiam animi dotibus, quarum iam magno passu limina penetrasti, non segniter, sed sedulo incumbe, et enitere totis viribus, ut superatis liminibus summa conscendas, summaque teneas subsellia. Nec interim, ut polliceris, amplificationem panegyrici mei intermitte. Laudata sunt haec plurimum eius carmina a doctissimis viris; quo fit, ut ardentius mihi desideratur, eumque etiam expeto, sed sic amplificatum, ut spe me imbuisti. Quis enim laudes suas non habeat gratas? non etiam cupiat ut laudetur, et adhuc vivens degustet suas gloriolas. Hinc triumphi, hinc statuae, hinc coronae civicae, murales et pleraeque aliae cum titulis, et variis ac diversis aliis insignibus originem habuerunt, plurimique etiam curarunt, ut in historias referrentur, decantarenturque in poetis. Sed ne id magis efflagitare abs te, quam a multis etiam aliis promeruisse videar, hic desino; et tua ultronea, non demandata, neque imposita promissa exigo. Vale. Viennae 16. Januarii 1569.

CXVI.

Wis Albertnek Verancsics Antal.

Ad Magnificum dominum Albertum de Wis, oratorem Caesareum apud Turcarum Principem.

Ad VII. diem Novembris accepi a Magnifica dominatione Vestra litteras plenas et officii singularis, et amoris erga me fraterni, hisque de causis suaves, iucundas et gratissimas. Nec enim quicquam optabi- 1569. jan. 19.

lius mihi evenisse potuisset hoc tempore, quam manus suae testimonio cognovisse, quod esset et statu optimo valetudinis, et mei tam amanter, tamque constanter meminisset; nec praetermisisset prior ad me ad scribendum provocare, quum id mearum omnino erat partium, ut enavigata istius pelagi vastitate portuque arrepto, iam decennali exilio in eodem pelago agitatum solari debuissem. Quod quidem officium, etsi me haud quaquam fugerat, quin etiam assidue in mente sane mihi versabatur; tamen quia nec tabellariorum tuta certaque facultas occurrebat, nec ea eram firmitudine valetudinis, potu salse parili ob catharrum, quem contraxeram Hadrianopoli, occupatus, imo et pressus, ut vacare calamo potuissem, nullas dedi ad Eandem litteras. De quo et dolui vehementer, et peto maxime veniam.

Ceterum Ibraim Beghus potuit affatim de statu, et de mea erga se quum voluntate, tum etiam officiis istic depraedicare. Nam quum ipse legationem illam gereret summa cum dignitate sui Principis, et suo cum honore; tum ego etiam memor officiorum eius, quae in nos fere quotidie conferebat, et sua solabatur consuetudine, haud quaquam passus sum, illum vices meas desiderare. Quum interim et apud Caesaream Maiestatem saepissime egerim, ut eum clementius habere dignaretur; tametsi et sua dexteritate hoc assequebatur, et Magnitudo Imperatoris eius, ac Magnifici domini Supremi Passae Mehmet benevolentia, qua est erga Suam Maiestatem, conciliabat illi, sic ut certe multo cumulatioribus habebatur honoribus, quam multi credidissent. Quicquid itaque et ego amoris hic in illum contuli, et istic in me ipse; cupio, ut et ille boni consulat meum officium, et pro suo ego habeo

eidem magnas gratias. Maxime si me in gratia Magnifici domini Supremi Passae Mehmet conservare non desistit. Quem ego quidem certe tanti semper feci et facio, quanti nullum a remotissimis saeculis passam, quorum nunc ipse locum tenet, authoritateque potitur, unquam fecerim. Non desinens etiam nunc per omnes occasiones magnitudinem ingenii, judicii et dexteritatis eius in regendo tanti principis regna atque imperia, apud Caesaream Maiestatem Dominum nostrum Clementissimum laudare et extollere. Cui ut officia mea velit commendare, rogareque meo nomine, ut eidem Domino nostro Clementissimo favere pergat, Magnificam dominationem Vestram etiam atque etiam peto.

Quanto autem studio una cum collega nostro egerim apud Maiestatem Caesaream, ut iam tandem detur Illi successor, et revocetur ex Aegypto, decennalique Eius exilio finis imponatur; non desunt mihi testimonia. Speroque, quod brevi cognoscet utriusque nostri hanc Illi operam non defuisse. Quamquam alioqui diu Maiestas Eius nihil difficilius egit, atque hoc; nimirum, ut istic Magnificae dominationis Vestrae ministerio careat; adeo pro voto illi inservit. Inducta tamen est, ut Eam exaudiat, et patriae suae restituat.

De galero purpureo, quem precatur mihi, non est opus Eam esse sollicitam. Nondum est postulatus; ultro autem ut conferatur ignotis, et quos nulla servitus, nulla merita commendant Summo Sacerdoti, Christi Vicario, nescio equidem, quo jure, quave ratione fieri possit, ne ad credendum adduci queam. Non cesso alioqui et Caesareae Maiestati inservire, et Christianis populis esse commodo, quam diligen-

tissime possim; cetera curet, dirigat atque perficiat omnium Dominus. Haec ad Suas litteras rescripsisse placuit; cupidus de Saurero nostro aliquid intelligere, num fuerit sanitati pristinae restitutus. Quem etiam salvum esse iubeo.

Hic autem apud nos in Hungaria coeptum est, nonnihil maiorum rebelliones repetere. Quibus dederunt initia Franciscus Forgach olim Varadiensis Episcopus, et Wladislaus Gyulaffy; non tanti momenti ambo, ut vel exilem lacunam (így) turbare possint. Erant rumores et de quibusdam aliis, sed nondum de quodam alio constitit.

Nostra Comitia, quae debebant haberi sexta mensis instantis, Caesarea Maiestas distulit ob varias rerum aliarum causas, quibus per hoc tempus vacare cogetur, quaeque sine magna sua iactura nunc omitti non poterant. Brevi tamen nova eorum ratio inibitur.

Maiestas vero Caesarea, cum Sacratissima Imperatrice, et Serenissimis liberis optime valet. Ego itidem, excussa Turcici itineris lassitudine, et contractis infirmitatibus bene curatis, iam idem esse incipio, qui fueram; et servio Eius Maiestati iam omnino firmus et compos priorum virium.

Quod reliquum est, non gravabitur R. P. Zeffam, Ibraim Beghum, Mahmut Beghum, cum aliis amicis nostris nomine meo salutare; sibique persuadere firmiter, esse me sui deditissimum cupidissimumque, ut felicissime valeat. Viennae 19. Januarii 1569.

CXVII.

Az egri káptalannak Veranesics Antal.

Reverendi et venerabiles Domini, fratres in Christo nobis dilecti, salutem et paternam benevolentiam. Etsi clare edocti simus, ac nimis quidem displicenter accepimus de conversatione Magistri Lucae Bala Zenthmiklossii, qua ille inter vos minus concorditer et convenienter aliquot iam vicibus sese gesserit, propter quod proxime etiam in tantam et nostri, et vestri justam indignationem incurrerit, ut non abs re per censuras et constitutiones Ecclesiae nostrae in eum iure animadvertendo, a nobis quidem officio et beneficio privatus, a vobis vero tanquam membrum dispar exclusus, fuerit condemnatus: tamen consideratus pia animi ratione, non illum tantum, sed nosmet ipsos, quotquot sumus, ea humana fragilitate, et corruptae naturae imbecillitate sic esse circumdatos, ut etiam iusti septies in die cadant, et qui se stare putant, quandoque lapsus graviores accipiant. Quos tamen Christus ipse, salvator noster, non illico tanquam aeternis poenis addictos censuit a se repellendos, vel ab Ecclesiae sinu arcendos, quominus, si poenitentia ducti convertantur, in consortium fratrum recipi possint; sed et septuagesies etiam septies, hoc est quotiescunque resipuerint, errata illis condonentur, et in gremium Ecclesiae rursus recipiantur. Propterea nos eiusdem salvatoris nostri piam et salutarem institutionem prae oculis observantes, studioseque, quantum in nobis est, imitari volentes; viso hoc etiam, quod 1569. jan. 31.

idem Magister Lucas pro suo demerito satis a nobis correptus et castigatus existens, ad suimet emendationem se devote inclinasset; inducti sumus, eidem super huiuscemodi excessibus suis, pro hac vice gratiam facere, ac eundem omnium beneficiorum, officiorum, et proinde jurium suorum, quibus antea in ista Ecclesia nostra Agriensi usus est, capacem reddere. Propterea dignum et iustum censentes, exemplo nostri salvatoris, vos quoque, quemadmodum et nos fecimus, cum praefato fratre vestro, agnoscente sua peccata, et veniam deprecante, reconciliari, eique de commissis contra vos ex corde vestro remittere; hortamur vos in virtute salutaris obedientiae, et etiam authoritate nostra vobis committimus, quatenus dum et quando memoratus Magister Lucas cum praesentibus vos requisiverit, gratiamque et pacem a vobis postulaverit, omni rancore, odio atque vindictae cupiditate semota, fraterne illi sua errata condonetis, ipsumque in gratiam et consortium vestrum fraterna dilectione, qua erga inimicum esse debetis, assumatis et recipiatis, quin etiam omnium proventuum suorum, quos ab exclusionis suae tempore inter vos percepisse, vel posthac percipere de iure deberet, participem et capacem, nulla difficultate et contentione adhibita, velitis reddere; paternam nostram requisitionem, et vestram debitam obedientiam in eo recognituri et exequuturi. Bene in Domino valete. Viennae ultima Januarii 1569.

Kivül: Reverendis ac venerabilibus Dominis, Capitulo Ecclesiae nostrae Agriensis, fratribus in Christo nobis dilectis.

CXVII.

De Andreis Jeromosnak Veranesics Antal.

Ad Hieronymum de Andreis.

Excepi Joannem Ferrum eo animo, quo et tu, 1559. febr. 27.
cum patre eius, et complures alii petierunt, qui de mea voluntate erga se fiduciam habuerunt. Utinam autem sic sese ipsemet commendatum apud me efficiat, ut commendatus est partim a parente suo, et a te, quibus ego plurimum defero; partim ab amicis fere communibus, quibus pari assensu gratificari volui, ne fiducia fuissent frustrati, quam de meo erga se animo fecerunt sibi. Nam nisi his dotibus homines praediti fuerint, quae prius eos reddant commendationibus huiusmodi dignos, haud quaquam (mihi credas Hieronyme) rite et cum fructu commendantur. Si itaque Joannes Ferrus eam frugem de se ad me retulerit, post tam diuturnam peregrinationem, quam tua et aliorum exigit commendatio, facile una commorabimur. Alioqui omnes laterem lavabimus; nimirum ego, vos et ipse. Habet enim etiam nunc nonnihil de priori ingenio. Sed fortasse nondum maturuit. Ideo necessum habeo iterum tironem facere et disciplina imbuere, quod peregrinatione proxima nimiam licentiam imbiberit. Ceterum vir quoque iam ad haec factus, existimationem duntaxat sibi vendicat, ad disciplinam aegre revertitur, grandiore iam aetate prohibitus. Sic magna pars iuventutis per universum orbem decipitur, quando sine custode et sine institutore annos per-

currit adolescentiae. Ego tamen in Joanne conabor experiri, quod agricolae in adultis iam arboribus solent, quae plurium annorum cultura destitutae, et inutilibus ramis condensatae, putantur ferro, et luxu illo liberantur. Resecatis itaque pari modo in eodem Joanne multis, quae ipse licere sibi arbitratur, tanquam adhuc liber et paternae domus illecebris fretus, omni vento appetitus circumfertur. Videbo tandem, quid ex his in illo emendare potero; eam interim ipsius curam habiturus, quam de pluribus Regni huius nobilium filiis, quos foveo in meo famulitio, meisque imbuo documentis. Quibus si se ipse etiam submiserit, et ea ad usum suum accomodaverit, extra vulgi turbam erit. Sin secus, ipse viderit. Ego vero munere meo expleto. nec patri, nec affinibus, neque etiam amicis eius debebo quicquam praeterea.

De tuo autem epigrammate exasticho, quo me tantopere celebrasti, habeo tibi magnas gratias; mirorque, quod adhuc habeas Musas tibi faventes et familiares; quum me iam et Musae et Apollo ipse dudum reliquerint, postquam me sibi hinc senectus, inde Reipublicae negotia vendicarunt. Nec aliud mihi restat de poesi, aut de poetico studio, quam quod libenter lego carmen; tam tardus vero sum ad carmen faciendum, quam qui nunquam ea facere sciverit. O te felicem itaque! cuius senectutem prope iam extremam Musarum chori comitantur, Apollo lyra sua solatur, sustentat otium domesticum, nec anxior cura Reipublicae, quae omnis hoc saeculo miserrime affecta est, distineat a suis studiis. Ad quae si tibi reliqua bene respondeant, optime tecum agi censeo. Ego hic, quanto in maiore dignitate sum et honore constitutus, tanto sane minus sum meus. Ne huc adscribam aerumnas

Regni Hungariae, consequenterque nostra incommoda, qui in eo ad summa loca gradusque conscendimus. Sed quum res humanae universae alternas vices ferre cogantur, infelices nos, qui in hanc ultimam memorati Regni aetatem incidimus, desperantesque omnino reparationem eius nostris annis, solitudinem optamus. Vale. Viennae 27. Februarii 1569.

CIX.

Verancsics Antal a római egyház bibornokának felajánltatik.

Summo Pontifici Pio V.

Antonius Verantius, Sanctissime Pater Piissime Pie, Agriensis Praelatus Reverendissimus, et Maximiliani Caesaris a Consiliis illustrissimus, qui nuper periculosissimum bellum a barbaris Pannoniae illatum, utilissimis induciis eiusdem Caesaris Legatus dispulit, et Tuae Sanctitati, et universo fere orbi Christiano integerrimus, maxima rerum experientia, ac eximia prudentia et facundia vir cognitus est. Is a Tua benignitate et ob eius praeclara merita, et in Caesaris certe, vel petentis vel non petentis, honorem ornandus est; is idem Tuo lateri, qui coelum potestate reserans terris praesides, adiungendus; atque hoc demum viro Sacrum Cardinalium Collegium, quibus illud fulgere decet, et quibus fulget virtutibus adaugendum est. Hoc Ecclesiae, hoc totius fidelium Rei- 1569. mart. 1.

publicae utilitas postulat, Catholicus orbis cupit, praecipue vero Dalmata natio, quae perpetuo fidelissima, atque huic Apostolicae Sedi devotissima perseverat, quaeque quartum lumen Ecclesiae, Divum Hieronymum, quae hunc ipsum Verantium dedit, humillime a Te petit; hoc denique posteritas a Te factum inter prudentissima Tua atque optima gesta recensebit, Tu vero nobis diu vale.

Ex Venetiis kalendis Martiis

Tuae Sanctitatis

pedes osculans

Antonius Proculeianus.

CXX.

Maximilián császárnak Veranesics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, Domine, domine mihi clementissime!

1569. máj. 15. Post fidelium ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Vestrae Caesareae Maiestatis humillimam commendationem. Causa Telegdini et civium Tyrnaviensium currit per varias et multas faeditates, nec aliud actum est hactenus, quam quod per dies proximos disputatum est magna contentione doctorum. Impactum postremo est in eo: quod Telegdinus agi vult de iniuriis sibi illatis diffamatione civium, cives autem in eo solo instant, se nec authores, nec accusatores esse infamiae Telegdini. Quumque mandatum

Vestrae Maiestatis solis civibus videtur suffragari, dicendo, ut illud tantum iudicio domini Locumtenentis revideatur, an ipsi cives authores infamiae sint Telegdini, de iniuriis vero Telegdini nulla in eo fit mentio; nec dominus Locumtenens, nec nos alii scimus in eadem causa procedere, nisi ambarum partium propositiones in considerationem et iudicium adducantur. Cuius rei causa supplicatum est Maiestati Vestrae a tota Sede, alias hoc iudicium nequit procedere.

Ceterum, clementissime Imperator, miseris meis fratribus Capituli Agriensis nondum sunt domus liberatae a militibus; possessio etiam arci vicina nomine Felnymeth variis et indignissimis modis opprimitur, eiusque colonis imposito per dominum Forgach concionatore haeretico, et parochus eorum, et altaristae exclusi sunt ex principali sua ecclesia; usurpata etiam dimidia parte eorum proventuum. Et quia haec sola possessio ab initio semper fuit Catholica, omnibus aliis infectis haeresum maledictionibus, hoc dolore omnes et Capitanei, et alii in eorum eversionem coniurarunt et incubuerunt. De quibus oppressionibus suis quum habeant apud Reverendissimum dominum Vesprimiensem libellos supplices, demisse supplices, dignetur Maiestas Vestra et his miseris, et Capitularibus succurrere, ne desolentur, neque transactio mecum facta violetur. Alioqui omnia ibunt pessum, nec tardioribus remediis convalescere poterunt! Et Deus Optimus Maximus Vestram Sacram Maiestatem Caesaream servet incolumem et quam felicissimam. Posonii 15. Maii 1569.

CXXI.

A Salmis Gyula grófnak Veranesics Antal.

Ad Magnificum dominum Julium Comitem a Salmis.

1569. máj. 18. Litteras Magnificae dominationis Vestrae super querimonia colonorum suorum de Wyzkewz, quod videlicet officialis meus Selliensis exactione telonii eosdem molestet; idque (uti scribit) in praeiudicium antiquae eorum libertatis et immunitatis ab huiusmodi onere solutionum, intellexi, vellemque omnino, si posset fieri, non id inter nos controversionis incidere. Sed ut Magnifica dominatio Vestra secure agit pro conservatione suorum privilegiorum, nec propterea offendit animos amicorum; ita sane et ego arbitror, vitio mihi verti non debere, si similiter privilegia mea tueri volo. Paratus alioqui semper, omni propensione et studio meo eidem inservire et gratificari.

Quod igitur ad rem attinet: nolo uti prolixioribus verbis; sed Magnifica dominatio Vestra non gravetur perlegere aliquot titulos in Tripartito legum nostrarum opere de privilegiis. Et cognoscet omnem rationem et distinctionem privilegiorum huiusmodi, et an liceat Regum antecessorum successoribus Regibus infringere privilegia. Quum autem Bela Rex Turociensem Praeposituram instituit, dotavit, et privilegio telonei ad amnem Vagum oppidum Sellie alluentem, commendavit. Quod quale est, quod habet Magnifica dominatio Vestra? a quonam rege sit collatum? quave ratione meum debeat infirmare, tam antiquum, et sigillo

aureo emunitum? nondum scio. Et sane scire cupio, petoque, ut illud mihi demonstrari, mandare non gravetur. Quod quidem si tale erit, cui meum debebit cedere, sine contentione illi deferam. Si secus, spero, Magnificam etiam dominationem Vestram non oppugnaturam mea iura. Alioqui, ut ego annis prioribus semper summa observantia parentem Magnificae dominationis Vestrae colui, ita certe pari animo erga Eandem, eius nobilissimum filium, semper esse volo. Nec deero vicinitati nostrae ullo officio, dummodo istinc a ministris suis aeque rei huius cura habeatur. Quamquam nuper etiam rates quaedam meae ex Turocz missae cum silvestri materia erant, officialesque Eiusdem ad Galgocz omnes asseres, quas vehebant, nobis ademerunt, non sine et damno nostro, et colonorum nostrorum, qui eas vehebant, iniuriis. Ne igitur talia contra nos deinceps fiant, rogamus. Et utatur nobis, ut vicino non molesto, paratoque ad omnia, quae amicitiam nostram mutuam conservabunt. Valeat incolumis et felix. Posonii 18. Maii 1869.

CXXII.

Unokaöcscsének Faustusnak Verancsics Antal.

Ad Faustum Verantium nepotem suum.

Ternis tuis, quas omnes die mensis huius III. IX. et XVI. ad me dedisti Patavio, responsurus; scito, eas mihi placuisse multis nominibus; sed his potissimum, quod iam nonnihil et purgatius scribas, et moni- 1569. jun. 1.

tiones meas ad virtutes amplectendas non gravate accipias, ceterumque sic etiam istic te gerere coeperis, ut etiam praeceptoris tui Fascoli, doctissimi et gravissimi viri, laudem de bonis moribus tuis promereris. Incumbe itaque toto animo, totisque tuis viribus, ut in istis studiorum tuorum principiis tam praeclaris, de quorum etiam mihi maximam expectationem concitasti, sic pergas atque emices, ut eo demum evadas, ubi laureae Doctorum sortiantur. Neque enim satis est bene incipere, nisi etiam perficiatur optime. Quia ex fine omnium rerum omnis laus metitur. Memineris itaque sic ad optatum et propositum studiorum tuorum finem contendere, ut spem, quam de te et ego et parentes tui concepimus, non destituamur; tu vero temetipsum exponas risui, si oleum et operam, quod est in proverbio, perdideris.

Ad studium autem musices, quod scribit Joannes Jovius, affectare te mirifice, laudo desiderium tuum; quum ea scientia valde olim apud Graecos floruerit, et summa in veneratione fuerit. Quapropter et Themistocles habitus est indoctior, quod eius fuisset imperitus. Et quia eius partes dicantur esse tres: prima, quae confingit cantus, secunda quae modulatur, tertia quae agit instrumentis: tu quod sis aptus ad cantus componendos et ad modulandum, haud quaquam adhuc perspexi. Scire vero talem scientiam, quae iucunditate afficit utique aliqua homines, fructibus autem nullis; haereo equidem, quidnam facturus es de tertio eius genere, perpetuo digitos fidibus atterendo, et aures dumtaxat stridulis sonis recreando. Nec habeo aliud, quod dicam tibi, quam me nihil posse solidioribus commodis tuis polliceri. Nolo tamen, ut omnino cesses ab eius desiderio, teque nunquam illi applices.

Quin potius volo, ut eam discas et ediscas, sciasque omnino testudinis, sive, ut nunc vocamus, luthinae peritiam, qua possis interdum et aliorum studiorum tuorum vigilias sublevare, et senectutem meam recreare. Quod instrumentum quum omnibus ingenuis tuto conceditur, tum etiam ne magnatibus quidem interdicitur; eius tu studium paulo tardius, meo certo iudicio, aggrederis. Cavebisque diligenter, ne te sic dedices ac devoveas illi, ut non orator, non philosophus, non physicus, non jurisperitus, sed coraules, utricularius et cytharedus in patriam revertere, tibique illud obiiciatur domi a conterraneis: „Scytha Patavium, Scytha Patavio.“ Horum itaque sedulo memineris.

Quod vero Jacobo Superancio Patricio Veneto, non ita pridem apud Turcam Bailo, nunc Praetori Patavino, viro claro et omnibus numeris absoluto, raroque in administranda Republica sua Senatori, insinuasse scribis, probe fecisti. Et scito, laudem esse non postremam, principibus placuisse viris. Hic autem clarissimus, tantum de meo nomine ac fama bene meruit, ut non ego solum, sed tota domus nostra debet quicquid pro maximis beneficiis grati homines debere solent. Nec cetera requiras articulatius; sed eius benevolentia atque opera facti sumus ei notiores, et laudatiores apud multos Principatus. Affuit enim non mutus testis industriae meae, qua proximam legationem, gravem sane et difficilem, gessi in Turcia.

Quum itaque vos omnes mei meae erga illum gratitudinis debito teneamini, ob patrocinium, quod ex eo vestris in rebus sperare possitis tu pro virili parte tua agnosce virum amplissimum et omni colas observantia; agnoscatque etiam ipse ex huiusmodi

tuo officio meae quoque aliquid erga se voluntatis ac studii.

Reliqua de his, quae usus tuus postulat, ad Joannem Jovium perscripsi, eaque ex eius litteris cognosces. Vale. Posonii prima Iunii 1569.

CXXIII.

Testvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Ad fratrem Michaelem.

1569. jun. 10. Litteras vestras VIII. Maii datas accepi, gaudeoque omnes vos istic bene valere. De Archiepiscopatu non est iam, quod loquamur aut somniemus; nisi si quid insperati futura Comitia ediderint, quandocunque illa habebuntur.

Dos Margarethae tota erit in auro, et iam tota est numerata. Tantummodo occurrat aliquis fidus, cui secure ad vos detur.

Nec illa bono animo accepi a vobis. Si eam mihi credere nolitis, credite alii cuipiam. Deus bone, quorsum haec tanta diffidentia. Aut num vos ego iam a me reiecerim, si Petri nostri causa durius aliquanto vobiscum egeram. Sed, quaeso, absint in posterum a nobis huiusmodi motus, et liberius maioreque fiducia agatis mecum, vel saltem solita. Cui similiter nihil unquam defuit, quod ad coniunctionem nostram pertinuit.

Ubi vero celeritatis me admonetis, ne Margarethae proci alio vertant studia; agnosco rei periculum,

sed certe nequeo magis festinare. Et quia tantum aes mitti Venetias consultum esse non puto, neque hinc per ullum ex hac gente ad vos destinandum, ne fortasse pravis quorumpiam ingeniis traduceremur: existimarem, huc istic aliquem mittendum, si quem tantae fidei haberetis, nec parceretis sumptibus, quos ego essem repositurus vobis.

Habebam autem in animo, ei rem committere, de quo etiam nominatim ad vos scripseram. Sed et illum bene ambo cognovimus, et experti sumus. Quare omisi hanc cogitationem, vosque istic videte, et mature me edocete, quicquid in hoc commoditatis habere poteritis. Nulla deinceps usuri opera Devii; sed solidioris cuiuspiam viri, qui et fide erit integra, et provinciam obire sciet.

De statu ac de valetudine mea si quaeritis; nunc hic Posonii cum Episcopo Transilvano publicis praesum Judiciis; et perquam optime valeo cetera, nisi quod adhuc catharro levi humeri, quem e Turcia cum pace retuli, vexor. Nec habeo medicos, qui eum expugnare queant, vel etiam sciant. Singuli enim imbecillitatem senectutis meae causant, et inediam mihi inculcant. Quos ego quidem omnes iudico parum esse medicos; quum videam eos vix quicquam scire praeter ea, ubi Galeni atque Hypocratis regulae non successerint. Et saepe hominem occidunt, dum explorant morbos; incerta interim, et fortasse etiam aliena remedia adhibentes. Quo fit, ut me valde male habet, quod nunc hic nec empyricos habemus, nec mulierculas, quas nostri Pannones noctivagas et semimedicas vocant. Quod utrumque genus hominum simplicibus utentes radicum atque herbarum virtutibus, puto, quod maiore cum effectu his inclusis morbis, qui non

habent in urinis locum seu aphorismum, mederentur. Illi ubi venena miscuerint infirmo, adeo expurgant alvum, ut cum noxiis etiam innoxios humores eruant; quantumque ad tempus, sine ullo incremento diuturnioris incolumitatis prosunt, tantum toti vitae obsunt et detrahunt. Sed quia is defectus communis est omnibus mortalibus, nos etiam aequo animo pergamus ad nostram metam; sustentantes interim vitam nostram, ut melius poterimus, etiamsi plura incommoda seniles anni nostri nobis accumulaverint.

Quod ad nova vero attinet: Oratores nostri, qui calendis Ianuarii munus honorarium in Turciam portaverant, redierunt, et attulerunt, eum tyrannum grave bellum, alterum ab Arabibus maris rubri sustinere, alterum contra Moschum ordiri; nobiscum omnino pacem velle, Transilvanoque, qui iam in nos moliebatur hostilia, dabatque operam apparatibus bellicis, mandasse, ut a consilio, et a conatibus, quos urgere coeperat, desisteret, et coleret cum Caesare nostro pacem. Caesar autem noster minime ab hac qualicunque pace per hoc tempus alienus, quo totam ferme Christianitatem bellorum incendio flagrare, et simultatibus mutuis irretitam esse videt, eam, ut non intempestivam, gratam habet. Parum tamen et Turcae et Transilvano, eius pullo, fidei adhibendum; maioribus praesidiis instruit confinia, ne imparatum hostis offenderet.

In Galliis, Conde sublato, tumultus bellicos ferme omnes putabamus esse exstinctos. Sed Volfgangus Bipontinus Dux in illud Regnum cum exercitu non contemnendo cathafractorum et peditum, mox a clade Condeana infestis invectus signis, nunciant

parum deesse, ut se cum Admiraldo Regis hoste coniungat, et simul denuo in eum arma intendant.

Belgium bene ab Hispanis castigatum cornua demisit, silere coepit, seditiones omisit, arma deposuit, et imperata facit. Nos libenter paci studeremus; sed quorundam rebelliones proximae ita nos reliquos in varias suspiciones apud Germanos coniecerunt, ut omnes male audiamus. Deus itaque male faciat improbos, et pereant universi, qui bella volunt, et quietem publicam perturbant, novisque periculis has exiguas Regni reliquias obiciunt

Reliqua erunt de Joanne Ferro, qui neque nunc apud me permansit constans. Mira hominis levitas, inaudita vanitas, volubilitas animi super omne, quod non constat sibi. Vestiveram illum tum aestivis, tum hybernis perquam nobiliter. Neque his contentus, ut familiares mei reliqui, contraxit mutuum, et plura addidit suo cultui; hunc que in modum factus magis conspicuus, sociatusque cuidam Italo familiari meo, statura atque ingenio sibi simili, non aliter per urbem Viennensem ambularie sese venditavit, quam si in ea solus fuisset Pamphilus, essetque Sibenici. Nec reliquas eius ineptias huiusmodi volo vobis recensere. Sed tota iam et ea urbs, et Caesaris aula de illo loquebatur, quaeritabatque, num affinis esset Agriensis. Quare videte, quo poteram esse animo, foris erubescens, domi contumaces et turbulentos habens. Ad haec quum domum cuiusdam Oratoris, viri clari, uxorem secum habentis, mihi vero amicissimi, crebro in die pertransiret, et lascivius per fenestras eius iacularetur oculos, animadversa est iniuria, et consultandum de ea vindicanda. Ignorabatur mihi hoc facinus, nec prius de illo quicquam scivi, quam ipsemet Ora-

tor monuisset me, inhiberem hominem. Alioqui ego si forte neglexissem, ipse aut fustibus, aut etiam gladiis corripiendum curavisset; cui etiam ad illam usque diem gratia mea pepercisset. Auditis his exhorrui, et expavi fere ad stuporem ipsum, miratusque de insani audacia, simul et de imprudentia, mox reprehendendum et monendum curavi, ut desisteret et caveret; quia Orator omnes servos suos erat in illum armatos immisurus. Territus tandem vitae periculo, silentio rem commisit. Coepitque interim delectus militum fieri, et Cassoviam mitti; animum vertit ad militiam, et facultatem abeundi postulavit, obtestans me maximis precibus, ut ei pecuniam suppeditarem, qua sibi ad duos equos apparatum disponeret. His petitionibus duabus magnopere offensus; primum parentis eius gratia, ne quo casu orbaretur filio; deinde sumptuum meorum causa, quos haudquaquam in illum tunc temporis faciendos mihi esse arbitrabar. Usus itaque mox disuasionibus et variis et validis, ne se in incommoda et pericula bellica praecipitaret, maneretque in statu in quo erat, et consiliis meis, meaque disciplina diutius uteretur, quae illi esset honorifica, operireturque alias occasiones apud me meliores, quae conditioni suae futurae fuissent magis et honestae et accomodae. Obaudivit, et eo usque ursit me et sollicitavit, ut coactus fuerim annuere. Datoque illi modo fere ducentorum tallerorum, apparatum sibi instruxit, et digressus est a me. Quod pluribus verbis ad vos descripsi, ut, si opus fuerit, excusetis me apud eius patrem, ad quem nihil scripsi de his, quae in eum a die, qua ad me venit, insumpsi. Sed profecto constitit mihi talleris quadringentis et aliquanto pluribus. Verum vadat ut ivit; in meam tamen domum eius furiae

nunquam deinceps admittentur quibuscunque casibus iactabitur, aut felicitatibus florebit.

Nec plura modo. Catherinam cognatam, et omnes liberos vestros salutate, ac bene valete. Posonii X. Junii 1569.

CXXIV.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Missile Regium, tenore cuius Transilvaniensis, Agriensis et Varadiensis Episcopi causa tractandorum certorum negotiorum Viennam advocantur. Viennae 17. Iunii 1569. (A volt m. kir. udvari kanczellária régi levéltári lajstromából.) 1569. jun. 17.

CXXV.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Sacram Caesaream Maiestatem.

Proximis diebus unus ex vaywodis naszadistis, nomine Dionisius Nemeth, hospes et inquilinus oppidi mei Sellye, questus est Sacrae Maiestati Vestrae de me, quod domum quandam eiusdem violenter ab eo occuparem; mihique duo etiam eiusdem Sacrae Maiestatis Vestrae exhibuit mandata, quae districtissime 1569. jun. 19.

imperabant, ut ab huiusmodi violentia desisterem, et de facto ademptam domum illi restituerem.

Quae quidem mandata omni cum humilitate et reverentia, qua debui, recepi. Verum quum idem Dionisius secus rem suam Maiestati Vestrae exposuit, gravaturus me non iustis causis, quam sese habeat: aequitatis rationes et jura mea exposcunt, ut hoc ipsum negotium non ita de facto exequi possit, sed suis modis prius revideatur et cognoscatur, deinde quod juris atque aequitatis erit, inter me et illum transigatur. Cui haud dubie ego essem judex pro ea parte, qua oppido meo et terris meis fruitur. Nec est conveniens, ut homo, qui est conditionis eius, terrestrem dominum non agnoscat, et insuper hospes atque advena existens, jus sibi nobilitare, consequenterque haereditarium arroget et usurpet. Habito tamen Sacrae Maiestatis Vestrae pro fidelitate et subiectione mea debito respectu, ubi primum haec Judicia finem sortientur, quibus ex clementi deliberatione Maiestatis Vestrae (inter) esse me oporteat, ad memoratum oppidum meum Sellye descendam, et hanc controversiam cognoscendam, jureque mediante decidendam curabo.

Est tamen operae pretium, ut Sacra Maiestas Vestra meam etiam causam clementer intelligat, quae mihi est cum hoc, et cum tribus aliis vaywodis inquilinis et hospitibus meis; qui ductis in eodem oppido uxoribus, et iis, obtentis etiam agris et omnibus aliis commoditatibus et utilitatibus, iam non ut inquilini et hospites, sed ut oppidani mei vitam degunt, inhaerentesque naszadisticae suae libertati, et suis exemptionibus ab oneribus, quae debentur Principi, me qui sum eis terrestris dominus, haud quaquam volunt agnoscere; sed praeter alias insolentias, quas in me

assidue committere non verentur, etiam litigare mecum secure audent et praesumunt, tanquam condivisionales mecum in bonis meis. Quod certe nostra gens ferre minime potest; fitque ex hoc etiam Ecclesiae juribus magnum praeiudicium, quibus tuendis et conservandis nos ecclesiastici magno iuramento adstricti sumus. Nec id solum vigore sacrorum canonum, sed etiam Principum ordinatione, a quibus similia beneficia accipimus.

Ut autem de maiori etiam audacia et confidentia praefatorum vaywodarum Maiestatem Vestram humillime edoceam: Proxima eiusdem Maiestatis Vestrae expeditione contra Turcas facta, quum attributae fuissent illis duae naszadae omnibus classiariis instructae, putantesque eam eis occasionem valde oportunam advenisse, mali cuiusdem animi sui contra me furorem declarandi, ad praefatum meum oppidum venerunt Vago flumine, irruentesque in illud cum toto ferme numero classiariorum suorum, perpetratisque in eodem multis violentiis, postremo domum quoque meam invaserunt, usique ibidem magna licentia, proscissoque maximis vituperiis et me et officialibus meis, fuderunt demum et sanguinem, aliis ex familia mea vulneratis, et aliis verberatis. Exsaturatique tanto facinore, minabundi ubi rediissent graviora, discesserunt.

Huiusmodi itaque hospites atque inquilini, Clementissime Imperator, Maiestas Vestra benigne videat, an sint mihi in bonis meis tollerandi. Ceterum, si nos a militibus Maiestatis Vestrae similes insultus atque iniurias sustinere opporteat, unde oppressionibus nostris tutela atque defensio quaeri debeat, non video. Quum autem ego etiam unus sum ex servis

Maiestatis Vestrae sicut multi alii, Eidemque non inferiora servitia exhibeo, quam sunt aliquot vaywodarum huiusmodi, Sacrae Maiestati Vestrae humillime supplico, dignetur me clementer a similibus hospitibus et inquilinis liberare; quum homines sunt supra modum arrogantes et temerarii. Idque vel hoc solo titulo, quod vaywodae sint Maiestatis Vestrae classiarii. Alioqui neque ego mihi ipsi penes aequitatem meam deesse possum; quia et Ecclesiae meae jura tueri debeo, et qui ex terris meis vivunt, aequum et iustum est, ut cum aliis subditis meis onera quoque sustineant, et in tantum mihi deferant, meque agnoscant, in quantum de terris ac bonis meis participant. De quibus omnibus distincte et humillime ad Sacram Maiestatem Vestram in responsionem querimoniae Dionisii Nemeth scribere volui, ut etiam de rationibus meis sit aliqua in parte informata, donec ad oppidum meum Sellye proficiscar, et absolvam reliqua. Deus Optimus Maximus Sacram Maiestatem Vestram servet incolumem, et felicem ad multa saecula. Posonii XIX. Iunii 1869.

CXXVI.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Ad Maiestatem Caesaream.

1569. jun. 14. Accepi Sacrae Maiestatis Vestrae Caesareae mandatum, quo me clementer iussit Viennam ascendere propter ardua quaedam publica negotia, ubi primum haec Judicia Generalia fuissent absoluta. Quod

mandatum ut recepi omni cum humilitate et reverentia; ita eidem parere ac morem gerere diligentissime curabo. Sed quum omnino sum destitutus sumptibus, nec habeo modum Viennam ascendendi, nisi haec Posoniensis Camera reddiderit me contentum de pensione kalendarum Februarii; humillime supplico, dignetur Sacra Maiestas Vestra tribus iam mandatis suis super hac re quartum quodpiam aliud his fortius aut validius superaddere, ut tandem de illa mihi satisfaciat. Quinque iam exacti sunt menses a kalendis Februarii, nec praeter centum talleros et quaedam vina vel nummum habui. Videatque clementer Maiestas Vestra, quam mecum recte agatur; quamquam et domi, et foris commode esse possim, nullo interim adiutus vel subsidio, vel salario, vel etiam quibuspiam obventionibus, ut quidam alii; serviens alioqui non minus multis aliis, parumque et importunus et molestus, et ita semper paratus ad Sacrae Maiestatis Vestrae etiam in hac senectute obsequia; ut vix conditionis meae multi sic, qui et aetate polleant, et fortuna omnium patriae postularet, imprimis autem Sacrae Maiestatis Vestrae dignitas atque magnitudo. Sed haec, quum non sint huius temporis, ad quae una dierum Sacra Caesarea Maiestas Vestra, uti spero et confido, respicere, mihique providere dignabitur, quia revera male sum provisus; iterum humillime supplico, dignetur melioribus et fortioribus quibuspiam rationibus clementer decernere, ut constitutis terminis haec mihi deponatur pensio, neque tantopere desudem in ea assequenda. Cuius expectatione tamdiu tractus, illud quoque me excipit damnum, ut interim victitans aere mutuaticio, totam fere, aut maiorem eius partem absumunt mihi foenera. Consideret itaque clementer Sa-

cra Maiestas Vestra, quo sit res mea statu, et benigne tandem dignetur committere, ut praesens memorata pensio deponatur mihi, quo Viennam quamprimum ascendere queam; postea ex innata sua bonitate et munificentia curatura, ut commodioribus quibuspiam rationibus statui meo succurratur. Quam Deus Optimus Maximus diutissime sospitet atque felcitet. Posonii 24. Junii 1569.

CXXVII.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Maximilianus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc Rex etc.

1569. jun. 24. Reverende fidelis nobis dilecte. Quemadmodum nuper, ita denuo tibi committimus et mandamus, ut nulla facta excusatione eorum, quae proxime tibi significavimus, arduorum negotiorum causa statim, ubi has acceperis, huc ad nos festines. Et secus non feceris. Datum Viennae 24. die mensis Junii 1569.

Maximilianus m. p.

Joannes Listhius
Episcopus Vesprimiensis m. p.

CXXVIII.

Verancsics Antalnak Maximilián császár.

Missile Reginum quo Agriensis Episcopus causa tractandorum certorum negotiorum horsum advocatur. Viennae die 25. Junii 1569. (Az előbbi m. kir. udv. kanczelláriа régi levéltári lajstromából.) 1568. jun. 25.

CXXIX.

Maximilián császárnak Verancsics Antal.

Sacratissima Caesarea et Catholica Maiestas, Domine, domine mihi clementissime! Post felicem ac perpetuorum servitiorum meorum in gratiam Vestrae Caesareae Maiestatis humillimam commendationem. Hodie aliud mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis accepi, quo denuo clementer mandat, ut nulla excusatione interposita in curiam maturem. Cui ut humillime obediam, nec aliud faciam, quam quod Maiestas Vestra benigne iubet, mox eodem mandato lecto misi pro equis meis, qui ubi primum aderint, et viam aliquam quoqiam loco aquarum inundatio aperiet, quae et pontium et traiectuum usum latissime ademit, quam maxime potero, Viennam maturabo, omni cura etiam pensionis meae intermissa. De qua nec adhuc quicquam mihi porrigitur a Ca- 1569. jun. 25.

mera; esto, quod illi hoc etiam mandatum postremum demonstravi, sperans aliquid me delibaturum; sed aeque negavit, se quicquam pecuniarum habere, ut hucusque. Confisus tamen de benigna Maiestatis Vestrae gratia, veniam ut potero. Deus Optimus Maximus Sacram Maiestatem Vestram Caesaream sospitet et felicitet quam diutissime. Posonii 25. Junii 1569.

CXXX.

Diotalevi Ferencnek Verancsics Antal.

Al ms. Francesco Diotaleui.

1569. jul. 6. Questi passati giorni ritrovandomi in Posonio nelli giuditij generali, due delle vostre mi capitorno delli XI. e delli XVIII. giugno. Alle quali queste seranno in risposta, non vogliando lasciarvi longo tempo senza le mie. Per tanto harete à sapere, che la indispositione mia del catharho era nel vero molto grande, quando andai a Posonio. Ma ivi datomi nelle mani del dottor Spino, quell' effetto di giovamento, che non potero farmi quattro medici di questa cita in un anno, con il succo di salsapariglia ò di legno Indico, esso Spino lo fece in dodeci giorni, con quattro bagni domestichi, con le fricationi, e certi fomenti; di maniera, che restai non solamente sano, ma anchora gagliardo. Siche potete esser di miglior animo, quanto in questa parte del esser mio.

Ne Monsignor Illustrissimo Amulio, mio signore osservandissimo sente, se non con grandissima ragione, ch' io gia passati li LXV anni il penultimo del prossimo maggio, dovrei rimetettermi alla quiete, alla quale hormai il tempo et il vigor d' animo tuttavia mi esorta, inviti sprona, e principalmente il debito della professione mia, la quale io istesso veggo, non esser piu per la corte. Ma che possiamo altro, se per l' ordinario i boni servitori meno vie piu riposino, e sono soi proprii apresso li principi, che e dover voria, e saria ragione. Ringratiarete la Soa Illustrissima Signoria di questo aviso de cosa a me veramente desiderosissima, et offeriretele la mia humilissima e molto constante servitu.

Di dar recapito ad un giovine honorato, dotto, e professore della medicina, vorei potervi compiacere. Ma nelli tempi mei d' adesso non lo posso fare per piu cause, che col tempo saprete, e giudicherete, quelle esser state legittime.

Delli vostri caldi assai si meravigliamo qui, ove anchora molti e molto usano le pelizze. Ne li fredi ci danno tanta moglia, quanto l' inundatione del Danubio ni recca danni. Tutte li convalli e le campagne detto fiume de tutti due lati in tanto sono somerse d' aque, che si dubitamo d' una grandissima carestia di pane e di fieni. Ne perho le vigne altro di se prometteno, cha pochissimo vino, se pur ancho le vue potessero maturare. Tanta intemperie et inequalita de tempi regnano in queste nostre parti; e tutto questo per li peccati nostri et eresie, che non rimettono pur un minimo che.

La venuta costa del vescovo di Segna potria esser per altra causa, cha per quella, ch' a voi par; e

facilmente potria esser stato mandato dal Revendissimo di Zagabria. Ha da far ancho lui per le correrie di Turchi Boznesi, che li sono molto molesti.

Delli gioveni gia per inante in risposta delle vostre vi ho dato chiaro raguglio, per le quali me scrivevate, che se non li havesse inviato, restasse d' inviarli per le cause, ch' alhora mi scriveste. Hora io non so che fare, perche sono dipartiti, chi di qua e chi di la. Ne è cussi facile far di nuovo la scelta, poiche la prima fu intermessa; ne questa colpa è mia, ma vostra, overo di quello, che vi fece scrivermi in quella maniera. Provedete dunque voi à questo errore meglio, che potete; perche io non so che fare cussi presto.

Fracasso con doi altari se ne ando in Agria. Ne perhò si contenta, come sapete bene, li suoi humori; e penso, ch' un giorno l' haveremo qui di nuovo. Perche m' imagino, che non potra fermarsi in quelli travagli del confin, e fra tanti rattori e violenti soldati; immo etiamdio per li periculi, ch' ogn' hora si temono dalli vicinissimi Turchi.

Ne judico altro per queste suol, che m' informate dal modo di farvi capitar qualche danari per la sustentation vostra; si pure vi pare di slongar il ritorno vostro. Non habiando che far altro costa, sopra che rimetendome in voi; state sano. Da Vienna alli VI. luio 1569.

CXXXI.

Tesvérének Mihálynak Verancsics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

Jam non est opus quenquam istinc huc mittere causa eius negotii, de quo vobis proxime meis significaveram. Mittam enim ad vos Vincentiam Galassum cubicularium meum via Fluminae civitatis. Qui iam ita est accinctus, ut fortasse citius illum excipies, quam has recipies; venietque sic instructus vobis, ut nihil eorum desiderabitis, quae expectatis. 1569. jul. 16.

De mea autem valetudine paucis utar, postquam doctor noster Spinus intra XIIII dies proxime me, dum essem in Judiciis Posoniensibus, sanavit a catarho, quod adeo erat molestum. Nec id quidem aliis remediis, quam fricationibus, fomentis et balneis domesticis; rebus omnibus exterioribus. Laudatque admodum, quod mature ablegaverim succos ligni Indici et salsae parigliae, totque venena pharmacorum; nihil dicens esse mihi perniciosius remediis, quae per os sumuntur. In quo quum illi promptissime paruerim, vos quoque moneo, ut huiusmodi ab ore vestro propulsetis. Quod reliquum est, valere vos cum omnibus vestris, et cum Petro quam felicissime cupio Viennae XVI. Julii LXIX.

CXXXII.

Ugyanannak Veranesics Antal.

Ad Michaelem fratrem.

1560. jul. 22. Litteras vestras XV. currentis datas accepi, et habui gratissimum propter nuncium, quem mihi attulerunt de omnium vestrum bono statu. De quibus autem scripsistis mihi, ad eam sic respondeo.

Nuptias Margarethae neptis meae non diu futuras, in mora mea causa, quam intra XII dies expediam ad vos Vincentiam, eiusque adventus fiet vobis vestro arbitratu. Dicam tamen quod sentio. Non oportere patresfamilias vulgarem seu popularem luxum, licentiam, imo et deliria aut sequi, aut imitari; dotes filiarum maiore numero, quam re metiri; nec omnino ad multos annos persolvere, nisi cum magna iactura facultatum. Vos itaque nollem ego in hoc aut errorem aut defectum committere, qui optime nostis vestro vos metiri pede, et mensura uti, quae simul et semel non vobis adimat omnia. Plus autem multo est, quod uno actu et sub uno obtutu generis datur, quam quod per plurium annorum calendarumque Graecarum curricula promittitur atque expectatur. Sed haec Minervae. Alioqui admonitiones nunquam nocent. Senes etiam crebro affectibus superantur, sed non aliter, quam seducti ab iis, quibus sese crediderunt. Quae ad vos obiter, et ut cum illo, cum quo etiam coram iucundius colloquerer, et Margarethe nuptiis interesse possem.

Conductio possessionum domini Simonis Arbensis placuit, laudo etiam conditiones eius, quae summe erant necessariae. Jam restat, ut advigiletis, ne Petro desit industria; qui mihi adiuvandus fuit eo modo, quo meliore fieri potuit. Scitis enim, quam egenus, quam et ego non pecuniosus semper.

De cura bonorum Arbensium per id tempus omittenda propter causam, quam mihi significastis, placet vestra sententia. Memineritis tamen eius maxime, si pretium non erit excessivum. Et hoc propter permutationem, videlicet si res ad effectum venire posset.

Quod opinio mea de quibusdam consiliis bonae tuendae valetudinis vestrae vobis non displicuerit, libenter intellexi. Illud tamen male me habet, quod nec epulas habetis istic gratas, nec vina. Quae ut a solo saxeo appelastis saxea, ita certe poteratis et de epulis dicere, ut de alga maris, qua nihil, quod vel ex proverbio didicimus, potest esse vilius. Ne itaque impransus et incaenatus saepius a mensa surgatis, et invitus ieiunetis, deficiatisque ante tempus huiusmodi inedia, de duobus alterum vobis proponatis faciendum. Ut scilicet aut iubete, ut vobis iuvenem aliquem mittam cocum, qui vos Apicianis vel Lucullianis fovebit epulis, cum aromatum condimentis; vel ad me veniatis, et fruamur una his, quae utrique nostrum placebunt. Sic tamen cum domina coniuge vestra, mea vero cognata paciscamini, ne postea et vestri eius desiderio distrahamini, et illius vestro anxiemini. Quod si forte inciderit, neque animus vester, neque corpus haberet suam quietem, sua solatia, et sua vota libera. Deque his ita vobiscum mox a Margarethae

nuptiis constituite, ut alterum omnino faciatis, et annos vitae longius proferatis.

De trierarchatu, et de parviano satis est intellexisse. Ceterum de propaginibus prunorum Damascenorum curabo hoc autumno. De centum florenis scripsi Petro; credoque, quod non aegre illos a me expectabit, et plures alios; quia volo, eum venire huc in reditu Vincentia. Nec vos quoque iam diffidatis de subsidiis, postquam Petrus quoque coepit habere aliquid.

De domino capitaneo Gluceyith intellexi, quod litem vicerit, et domum erat intra 8 dies petiturus. Ideo non direxi ad eum partes meas litteras. Dicetis illi ac suis omnibus salutem meo nomine.

Faustus iam defecatiores scribit ad me epistolas, et declarat, plane esse se Patavii. Non patior quicquam deesse illi; tantummodo vos etiam inculcate illi, ut discat, et amet parsimoniam. Jam enim constitit mihi talleros 400.

Alium qui adhuc est domi, vellem, ut huc mittatis, exigatque apud me biennium. Postea eius etiam geremus curam, postquam Faustus incipiet esse in arce studiorum suorum. Vellem enim, ut ipse etiam addisceret aliquid Hungarice et Germanice. Ego autem beneficio Dei bene valeo, a catharro omnino liberatus, quod proximis etiam tabellariis ad vos scripsi.

Posonii autem quia ad X. Augusti diaetam habebimus, eo me brevi conferam. Nova spe multorum, mea vero nulla, in eadem decretum iri de Archiepiscopatu. Hac autem confecta diaeta Caesarea Maiestas conferet se in Bohemiam, aiuntque quod Wratislaviae cum Rege etiam Poloniae conveniet; vehementerque dubito, quod me etiam secum esse iubebit,

quod nollem. Alioqui non potero non parere, si huius animi fuerit.

Quod reliquum est: Signa iam apparent, bellum hoc anno nos in Hungaria non habituros. Rex autem Poloniae in proxima diaeta coniunxit Lythvanos cum Polonis perpetuo vinculo, perfecitque felicissime; quod multi Reges antecessores eius nequiverunt. Jamque imposterum unis legibus parebunt. Ex quo ille Rex, quantum nomen in toto mundo consequetur, eloqui non est facile; donata Polonis etiam haereditate sua Lythvaniae, quam ei maiores sui reliquerint. Quo similiter tanta gloria a suis celebretur, ut praeferatur multis prioribus.

Dominam cognatam salutetis, et bene valeatis. Viennae 22. Iulii 1569.

CXXXIII.

Pankotai Ferencz egri vicariusának Verancsics Antal.

Ad Vicarium Agriensem.

Reverende frater in Christo nobis dilecte et ho- 1569. jul. 26.
norande salutem. Superioribus diebus Andreas Choka omnem eam pecuniam, quam illi ad nos dedistis, accepimus, et agimus vobis gratias, quod ea carere nos noluistis; quamquam nihil etiam erratum fuisset, si eo quo a nobis erat destinata, restituissetis illam.

Testamentum autem quoque Dobrey confirmavimus, et illud Magistro Georgio Zegedy Canonico nostro ad vos dedimus, ut illud rite exequendum curetis. Omni tamen studio adhibito, ne quid eorum

eiusdem testatoris depereat, quae ad nos relatione quorundam sunt perlata; quum suo tempore dabimus operam, ut cognoscamus an ita sese res habuerint; nec etiam praetermittemus eam curam, ut, quomodo legata eiusdem demortui distributa fuerint, sciamus. Neque vos ex hac sollicitudine nostra quippiam in vos transferamus, quod scilicet non crederemus vobis; quia iam dudum ex multis argumentis cognovistis, et plane manu quoque palpastis. Sed quum et multa audimus de similibus testamentorum exequutoribus, et ex parte non pauca credimus; agnoscetis res demortuorum fratrum apud complures, qui in legatis non habuerunt. Memineritis itaque, ut deinceps isti tales exequutores nos etiam inter se connumerent (igy). Habita interim diligenti cura, ut et a Rubero, et ab aliis debitoribus muta exigantur; teneatur omnium optima et sincera ratio, quae elargiri oportebit.

De negotio Magistri Gregorii Zegedini, qui pro gratia apud nos laboravit, illud nos velle sciatis, ut causam eius citra strepitum popularem et vulgus revideatis, neve ulli ex fratribus nostris etiam fragilioribus primum cura pastoralis, deinde pietas, ac postremo gratia nostra desit; iisque maxime, qui resipiscunt a viis suis malis, vitamque dirigant in melius, paterne castigati atque admoniti. Sic cum hoc ipso Zegedyno transigat, ut gratiam errati sui obtineat; prius tamen non, quam et hanc mulierem, cum qua apostatasse, ac ordinationibus Sanctae Romanae Ecclesiae omnibusque Sacris Conciliis deliquisse dicitur, ab sese summoveat, et canonice palam promittat, quod imposterum cum suspectis in domo sua non cohabitabit; et si secus fecerit, judicii rigorem subeat, et eas poenas luat, quas delicti culpa commerebitur.

Si enim non licet Episcopo manifeste peccantes aut pietate, aut commiseratione prosequi; quanto minus ei est permissum, ut perseverantes in peccatis gratia sua complectatur, et indulgentia corroboret, et depravatiores reddat. Quum autem et liberos ab eadem femina susceperit (uti audimus), et praesentium temporum licentia plurimos homines pervertat, a disciplinaque et a recto, suaque professione abducat; facile et iura matrimonii cum illa usurpasse potuit. Quod quia cognitionem fori vestri concernit, nos iam de his loqui desinimus.

Ceterum non ignoratis, quanta molestia laboremus ob desertorum altarium Ecclesiae nostrae vineas, quarum hactenus magnam partem in laicos, atque in hereticos dilapidavimus; nec id tam ultronea et incircumspecta nostra voluntate, quam et vestro, et aliorum fratrum nostrorum consilio, praetextuque minime approbando, ne videlicet in solitudinem devolvantur. Quumque huiusmodi ratione ducti partim vinearum integritatem conservavimus, partim ab Ecclesia alienavimus, nullas denique ex eorum manibus recuperamus, nisi et magno nostro negotio, et iniuria similium possessorum: deinceps itaque statuimus, ut memoratae vineae, etsi desolentur et ad labruscas redigantur, nemini prorsus ulla conditione conferantur. Detisque operam, ut ea ad altare Omnium Sanctorum pertinens, et existens apud Egregium Joannem Vytezium, Magistro Marino de Bonis, rectori suo restituatur; et si quae sunt aliae hunc in modum quibuspiam collatae, pro vestris viribus enitamini, ut in pristinum revocentur, nec quemquam in posterum patiamini sic agere cum suis vineis, ut eas non omni tempore in sua habeant potestate, quotiescunque rehabere voluerint.

Quum autem Magister Raccamontes non potest Agriae et canonicus et mercator esse, ut hic Viennae; mandetis illi, ut desistat quaestum agere, et merces, quas istuc ex Italia attulit, remittat ad hanc civitatem. Istic sacerdotem gerat. Alioqui si in hac licentia perrexerit, eum inobedientum sententia feriatis.

Lectorem quoque admonete, ut scortum, propter quod coactus est tantopere erubescere, et non pauca perpeti incommoda, ab se reiiciat, et tali vel culinae, vel aliorum domesticorum operum utatur ministra, quae suspicione scorti careat, nec nobis moveat bilem, veteremque (így) toti ordini atque Ecclesiae nostrae identidem opprobria retexet; promisit enim, eius se commercio liberaturum, ubi primum Agriam rediisset. Quod si non fecit, et in eodem adhuc erret luto, extendite in illo authoritatem vestram, et honori tum Ecclesiae, tum ordini nostro consulite Beneque valete. Viennae 26. Julii 1569.

CXXXIV.

Faseolo Jánosnak Veranesics Antal.

A ms. Giouan Faseolo.

1569. aug. 4. Parmi esser cosa molto difficile, à poter talmente disciplinare la gionenta, che si conserui nelle prime parti della soa educatione. Anchora che cò grandissima diligenza si tenghino sott' il freno. Et è verissima quella sententia d' Horatio, che li giouani subito sciolti dalla custodia di maggiori suoi, si danno

à diuersi solazzi e studii, cò usurparsi appresso tutta quella liberta, che chiamamo licenza di maniera, ch' al fine bisogna lasciarli a uincere. Poi che mandati ne stranieri e lontan paesi, se ne sogliono dar per se stessi in tutto quello, che li uoleri loro gli porgono inante, e guidare più tosto la, oue gl' appetiti se godeno, non le uere, ne le legittime ragioni, con el suo uie piu maggior dano ch' utile. Di che esempi nò ci manchano tutta uia ch' ogni giorno fa nascer la gabbia di questo trauaglitissimo mondo. Lo quello malamente gouernato nel presente nostro secolo dalli suoi mortali e monarchi, le giuuentu anchora appresso tutte nationi sono deprauate, manchandole Curii, Fabricii, Catoni, e molti altri simili, per il gouerno delli quali ogni bona disciplina e costumi regolati da per tutto stauan' in pie li, ne nissuna età inante il tempo è senza giudicio di maggiori soi si reccaua la liberta, et il potere di uiuere a suo modo.

Pertanto questi anchora nostri dui, raccomandati à uoi, oue uolea, che uiuessero sotto la disciplina uostra, come solto la mia ueggo; che seguendo il comune errore e diffetti publici, cominciano uoler tutto quello, che nò saria ne uostro ne mio instituto. Ne so quello mi debbia dire, imm'ancho ne fare sopra cio, tante ragioni mi propongono di maniera, che uorebbono starsen' da per se; e uiuer à suo modo. Qual stato nò direi esser fuora di proposito, si pure fussero di tale maturita, che si sapesso ben gouernare. Per il che io anchora volea, che qualche tempo stessero in potere del maestro. Dubitandomi, che ne quella età, in qual sono, nò sarebbono stati sufficienti à gouernarsi per se stessi, et ut est in proverbio, nare sine cortice.

Ma puoi che s' hanno assecurato tanto, che gia pare, siamo fatti maestri nell' Israele, faciano essi, e lasciateli andare e tenere la uita e la cuccina quale uolno. Prometendoui, che se nò si gouernarano saviamente, io anchora ordiro altro pensiero di loro. Ne uorrò, che totalmente seguino li suoi humori, e corrino alla uentura.

E tra questo mezzo, gli ho commesso, che ui sodisfacciano per tutto quel tempo, che sono stati apresso voi, offerendomeli anchora io cò tutti quelli appiaceri et ufficii, che da me si potrano prestarsegli. Ne lei restera di comadarmi e ualer se ne di tutto quello, cò che saremo bastanti à servirla. E quest' è quanto in resposta delle soe del primo di luio. State sano. Da Vienna alli 4. d' agosto 1569.

CXXXV.

Verancsics Antalnak Rust Jeromos.

1569. sept. 10. Reverendissimo Signor mio! Io non ho voluto lasciar partir di qua il Diotalevi suo secretario senza la compagnia di questa mia a Vostra Signoria, la quale mi servira solo al presente per salutarla, et per farle fede, che egli e stato sempre volontieri da Nostro Signor, per rispetto di Vostra Signoria principalmente, et perle virtù et modestia sua. Del desiderio, ch' io tengo di servirla. non le dirò altro, senon che mi rimetto alla relation, che dovrà farlene

in mio nome il medesimo Diotalevi, come informato appieno della volonta mia. Con che allei bascio le man, offerendole et raccontandole dicontra, chel Signor Dio la conservi. Di Roma alli XVI. di settembre 1569.

Di Vostra Signoria Reverendissima

l' affectuosissimo

Girolamo Rust mp.

Kívül: Al Reverendissimo Signor come fratello, Monsignor Vescovo di Agria.

CXXXVI.

Verancsics Antalnak Amulio bibornok.

Reverendissimo Monsignor come fratello! Ri- 1569. sept 17.
tornando hora a Vostra Signoria ms. Francesco suo secretario, non voglio io se non salutare lei, rimettendomi nel resto, à quanto le dira esso per mio nome; poi che lo conosco in questi giorni, che l' ho conversato, tanto discreto, modesto et inteligente, che son certo, non defraudara punto al' amore ch' io porto a Vostra Signoria; et al desiderio, che tengo di farle servicio. Et certo è servire meritevole della gratia di lei, il stato et sanita mia la sara monstrata da esso, quello che posso et vaglio tutto è di Vostra Signoria, alla quale mi offero, et prego dal Signor

Dio ogni contento. Di Roma li XVII. settembre del LXIX.

Di Vostra Signoria

come fratello

Il Cardinal Amulio mp.

Kívül: Al Reverendissimo Signor come fratello, Monsignor Vescovo de Agria, etc.

CXXXVII.

Verancsics Antalnak az alessandriai bibornok.

1569. sept. 71. Molto Reverendo Signor come fratello! Il Diotalevi, il quale se ne ritorna a Vostra Signoria, spedito da Nostro Signor nella commession sua, come ella vedrà, è stato cossi ben visto da Soa Beatitudine per rispetto di lei, et per le virtù sue anchora che per non difraudarlo di quanto merita in questa parte, le ne ho voluto far fede con le presente. Onde lo raccomando a Vostra Signoria come secretario suo demerito, et come amandome ancora, che sara fine di questo; offerendomi in tanto ad ogni commodo suo sempre. Di Roma alli XVII. di settembre 1569.

Di Vostra Signoria molto Reverenda

come fratello

Il Cardinale Alessandrino mp.

Kívül: Al molto Reverendo Signor come fratello, Monsignor il Vescovo di Agria.

CXXXVIII.

Verancsics Antalnak Dolfino bibornok.

Reverendissimo Monsignor come fratello hono- 1569. 8 pt. 18
rando. Venendosene da Vostra Signoria il suo Diotalevi, et havendo conosciuto, mentre è stato qui, con quanta saldezza io conservi in me il buono affetto, il quale ho portato sempre a Vostra Signoria, mi parrebbe severchio, s' io volessi interno à questo dirle più di quello, ch' ella potrà udir dalla viva voce sua. Rimettomi dunque à lui cose di questo, come del resto dell' esser mio, e delle cose di qua, delle quali egli è instruttissimo, e potra darlene abbondante ragguaglio. Questo solo non le taccio, che come non è effetto di vera amorevolezza, il quale ella non si possa prometter sempre di me, cosi mi sarà sopra modo caro, che ella mi dia talvolta occasione da mostrargliene segno. Mandole un paco di rocchetti, li quali sarà contenta di godersi per amor mio. E di buon cuor mele offero e raccomando. Di Roma à XVIII. di settembre.

Di Vostra Signoria Reverendissima
uti amantissimus frater
Cardinalis Delphinus m. p.

Kivül : Al Reverendissimo Monsignor come fratello honorando Monsignor il Vescovo di Agria.

CXXXIX.

Verancsics Antal esztergami érsek.

1569. okt. 17. Nos Maximilianus etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod quum diligenti cogitatione in animo revolverimus inter alia, quae Culmini Nostro Imperiali dignitatique Regiae varia incumbunt munia praecipuum esse, quod honorem cultumque concernit Divinum, ipsaque Dei Optimi Maximi Maiestas nonnisi fide et religione, quam Sancta docet et profitetur Ecclesia, coli venerarique soleat et possit; cumprimis elaborandum nobis judicavimus, ut in Regnis et Provinciis, adeoque Imperii Nostri circulo Dei benignitate Nostro regimini curaeque tradito, Ecclesia Dei piis et idoneis gubernatoribus atque ministris, tanquam cultus ipsius Divini necessariis instrumentis quovis tempore habeantur rite provisae. Vacante itaque impraesentiarum Metropolitana et Primatia Regni Nostri Hungariae Ecclesia Strigoniensi, legitimoque pastore orbata, haud differre voluimus, quin illi de idoneo Praelato et Rectore quamprimum prospiceremus. Et propterea debitum habentes respectum ad praeclaram eruditionem et doctrinam, vitaeque et morum integritatem fidelis nostri nobis dilecti Reverendi Antonii Verantii Episcopi Agriensis et Consiliarii Nostri, quibus ipsum munere Divino ornatum ab annis non paucis propria nostra experientia comperimus; confisi etiam de solerti et attentissima cura atque sollicitudine, quam ipse in administranda rite

Ecclesia, tuendaque et propaganda vera fide et religione, more boni pastoris et Praelati, summo conatu adhibiturus sit; non immemores denique haud vulgarium illius meritorum, quibus sese divo quondam genitori Nostro, et Nobis quoque commendatum reddidit; eundem ab Episcopatu Ecclesiae suae Agriensis ad Archiepiscopatum Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, nunc per mortem et decessum Reverendissimi quondam domini Nicolai Olahi, eiusdem Archiepiscopatus ultimi veri et legitimi possessoris de jure et de facto vacantem, transferendum, nominandum et praesentandum, ac eundem Archiepiscopatum Strigoniensem eidem authoritate Juris Patronatus Nostri Regii, quod in omnibus dicti Regni Nostri Hungariae Ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis more divorum quondam Hungariae Regum, praedecessorum Nostrorum felicis memoriae optimo jure habemus; simul cum omnibus castris, civitatibus, oppidis, villis, possessionibus, praediis, ac aliis cunctis pertinentiis et juribus possessionariis ubivis et in quibuscunque Regni nostri Hungariae et Partium ei subiectarum Comitatibus existentibus habitis, ad eundem Archiepiscopatum Strigoniensem de jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, pariter cum omnibus eiusdem juribus, libertatibus, praerogativis, proventibus, et aliis quibusvis emolumentis quovis nominis vocabulo vocitatis, dandum et conferendum; imo transferimus, nominamus et praesentamus, damusque et conferimus praesentium per vigorem. Quocirca vobis fidelibus nostris honorabilibus Praeposito, Vicario, Lectori, Cantori, Custodi, ceterisque Canonicis et beneficiariis tam dictae Ecclesiae Strigoniensis, quam aliarum Collegiatarum Ecclesiarum ad eandem pertinentium, ha-

rum serie committimus et mandamus; quatenus a modo imposterum praefatum Antonium Verantium pro vestro legitimo et indubitato Archiepiscopo habere, tenere et cognoscere, Eidem debitam reverentiam, honorem et obedientiam praestare, ac in omnibus licitis et consuetis rebus jurisdictioni ipsius parere et obtemperare modis omnibus debeatis et teneamini, secus non facturi; praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum in arce nostra Regia Posoniensi decima septima die mensis Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono.

CL.

Verancsics Antal mint esztergami érsek nyeri az esztergami egyház kegyúri jogát.

1869. okt. 17. Nos Maximilianus etc. memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod nos debitum habentes respectum ad praeclaram eruditionem et doctrinam, aliasque animi dotes, ac circa Ecclesias Dei, ac eligendos earundem ministros, diligentem curam fidelis nostri Reverendi in Christo patris domini Antonii Verantii Archiepiscopi Strigoniensis, Primatis Hungariae, Legati Nati, Summi et Secretarii Cancellarii et Consiliarii Nostri, quibus ipsum Divino munere praeditum, non alieno saltem testimonio, verum etiam propria Nostra experientia cognovimus; Jus Patronatus Nostrum Regium, quod in Ecclesia Strigoniensi, aliisque Collegiatis Ec-

clesiis ad eandem pertinentibus, sicuti in caeteris universis Regni Nostri Hungariae Ecclesiis, instar praedecessorum nostrorum divorum quondam Hungariae Regum felicis memoriae, optimo jure habere dinoscimur, ex certa nostra scientia, animique deliberatione eidem domino Antonio Verantio Archiepiscopo duximus dandum et conferendum, imo damus et conferimus, ac in illum transferimus praesentium per vigorem; annuentes et concedentes, ut ipse omnia Beneficia Ecclesiastica, utputa Praeposituras, Lectoratum, Cantoratum, Custodiam, Canonicatus, et Praebendas, quae a modo deinceps tam in dicta Strigoniensi, quam aliis Collegiatis Ecclesiis ad illam pertinentibus, quocunque nomine et titulo legitime vacare contigerit, dicti Juris Patronatus Nostri authoritate per Nos sibi hac in parte concessa, personis idoneis et benemeritis, ecclesiasticaque functione dignis, fide praeterea, vita, moribus et honesta conversatione, eruditioneque commendatis, Hungaris tamen et non alienigenis, dare et conferre, ipsisque de eisdem disponere, ordinare et providere valeat atque possit; imo damus et conferimus, harum Nostrarum vigore et testimonio litterarum. Datum in arce Nostra Regia Posoniensi decima septima Octobris anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono.